TECHE
UDINE

MANOSCRITTI

FONDO PRINCIPALE

Manoscritto n. **P_MSS_0647**

Nel Fondo Principale sono confluiti la maggior parte dei lasciti manoscritti pervenuti alla Biblioteca Civica «Vincenzo Joppi» nel corso del tempo: si tratta perciò di un fondo composito nel quale è possibile trovare manoscritti di argomento liturgico, scientifico, giuridico, botanico e altro.

Collocazione:

Biblioteca Civica "Vincenzo Joppi", Udine
https://www.techeudine.it/fondo-principale
https://www.sbhu.it/

Hermacorae Quintiliani
Antiq. Carneae

647

1876. li 6. Decembre

Ad uso di Nicolò Antonio
fu Michele Beorchia.

Prezzo L. :
Ligatura L. 2 : —

Venete L. ;

Acquistato il 3 Maggio 1887 per Lire quattro

BIBLIOTECA CIVICA DI UDINE

N.B. = Esemplare completo

FABII QUINTILIANI HERMAGORAE

PATRICII TVLMETINI

DE ANTIQUITATIBUS CARNEAE

LIBRI QUATUOR

II.


CARNEÆ STEMMA.

IV.

Nobili ac perillustri
Tulmetii Communitati
Josephus Cyllenius de Angelis

Quod vetera Provinciarum monumenta, qualitates, mores, res gestæ aliquando, turpi demandata oblivioni, perierint; aut scriptorum inopia, vel sane incuria id factitatum existimo. Quippe, cum Carnica regio, nun Carinthiæ et Forojulii contermina, habitantium simplicitate innocentiaque contenta, litterarias artes fere non noverit, et, agrorum cultu detenta, scitos non præstiterit homines, qui bella, qui paces, qui fœdera et acta quæque stilo scriberent; tenebris sic involuta, ac parum vel nihil cognita stetit diu Patria: donec, deflectente

pau-

paupertate, excepit animos virtus, et, quos rudes effecerat inclementia loci, magistra rerum scientia expolivit. Hinc soluti legibus populi condidere sibi, plurimorum sub imperio datis, statuta et sanctiones et quæ ad bene vivendum opitulari visa sunt decreta: atque ut non modo pacis sed belli etiam temporibus res suas tutari apprime valerent, comitiis Tulmetium veluti Provinciæ caput deportatis, Communitati summa rerum demandata est. Quæ vero, invalescentibus annis, peracta sint; quæ sors, aut propria aut aliena urgente dominatione, fuerit subsecuta; unus Fabius Quintilianus Hermagora, patrio consulens nomini, in unum congerere, expetitis ab archivio publico memorialibus, decimoquinto jam exacto prope finem seculo, operæ pretium duxit. Hujus manuscripta, malo fato diu latitata ac fere deperdita, tandem non sine numine tenui: sed qualia ignarus exarator ex vetusto ejus exemplari deprompsit: ut addere manum et in occursum codicis ire necessum fuerit. Quare, ne bene merentis concivis

nostri labor depereat, neve quæ scitu digna in Provincia evenere in cassum eant, prælis statui demandare, ipsius meæ Patriæ decori auspicato prospiciens. Hic regionis status, conditio, mores, et, quæ memoriæ obliterata videbantur monumenta, belli pacisque consilia in aperto sunt. Nec, sociali quadam necessitudine, deerunt Forijulii notitiæ: videlicet qui fuerit Patriarcharum ambitus, dominatio, vires: quæ jusdicentium Castellanorum factiones, fœdera, et a Domino defectiones: quæque Germanorum aliorumque Principum decursiones et induciæ: addita quoque Scriptoris opinione, pluribus suffulta auctoritatibus et argumentis, ubinam et quale fuerit oppidum Julium a Cajo Julio Cæsare extructum, vel ejus nomine auguratum. Tu interim, nobilis et retroactis seculis spectata Communitas, grato animo excipe, quas tibi dat concivis tuus Quintilianus imitandas, majorum memorias, et quas plurimis expurgatas mendis quoad fieri potuit, honorifica

ferme

ferme munera, alter filius tuus ultro tibi defert et dicat.

Ad usum R. D. Jo: Pauli Beorchia
de Trava in Carnea.

Fabii Quintiliani Hermagoræ De Antiquitatibus Carneæ
Liber primus

Uniuersam Regionem illam, quæ intra Liquentiam Flumen Taruisinum agrum terminans, et Adriaticum sinum, Istriam, Iapidiam, Alpesque superiores Italiam à Germania diuidentes continetur, Carnorum Prouinciam antiqui nominauere, eiusque incolæ, Carni Populi dicabantur, cujus metropolis fuit Aquileia Ciuitas Nobilissima Romanorum colonia, circa quam Caius Iulius Cæsar, dum Proconsul in Gallia bellum gerebat, tres legiones in hibernis collocare consueuerat. Omnis ea Prouinciæ pars, quæ à Flumine Fella, quod propè Ventionum oppidum in Tiliauentum labitur, usque ad mare protenditur, mutato priore nomine, Forumiulij dici cœpta est, illiusque Populi Forojulenses appellari, ad eorum opinor differentiam, qui Foroiulienses Transpadani, Plinio teste, dicti sunt. Reliqui uero Populi, qui à Flumine Fella supra Alpes incolunt, quibus tamquam se inuicem iungentibus recluduntur, et antiquum nomen retinuere, et hodierno quoque die Carni

Populi passim nuncupantur.

Huius autem superioris Prouinciæ descripturus antiquitates,
antequam rem ipsam aggrediar, illius situm, locorum qua=
litates, et incolentium mores explicare, operæ pretium fore
existimaui; ut, qui hæc perlegent, quid ubique in ea ges=
tum sit, facilius intelligere possint.

Omnis igitur Regio in quatuor partes diuisa est, quæ com=
muni illis gentibus uocabulo et Quarteria, et Canales ap=
pellantur, quorum primum ad orientem solem uergens,
Incarorium nominatur, habetque Torrentem nomine Clavis-
sonum, quod medium interfluit, quodque Butii Fluuium in=
grediens ambo Tiliamenti aquas adaugent. Quod uero ad Oc=
cidentem protenditur Subeliui Quarterium est, in cuius
capite nobile Tiliauentum flumen exoritur; medium au=
tem locum huic proximum Quarterium Sorti tenet, cui
adhæret Quarterium Diui Petri, à uetustissima Ecclesia
collegiata et Apostolorum Principi dicata, nomen trahens.
Hæc vallis Butim rapacissimum Flumen excipit, Sortum
uero Soccum, quæ diuersis itineribus in Tiliauentum
dilabuntur. Accedit Sorto Plaxis quoque flumen celeberri=
mum, quod ex monte quodam Setia uocato ortum ducens, indeque
Avcton uersus pertransiens Vallem Zapnatam (cuius incolæ etsi
Germana plerumque utantur lingua; tamen et inter Carnos

connu-

connumerantur, et Tulmetinæ jurisdictioni parent), per Cadubrienzsium montium anfractus sylvestribus vepis præceps inter saxa devoluitur, exceptusque mox agro Bellunensi, et utrumque clementiore alueo præterlabens, et nauium pondera sustinens, Adriatico mari se se immiscet. Habet etiam quarterium divi Petri lacum sub Pagum Timaui, ex purissimis aquis ibidam scatentibus confectum, qui exquisiti saporis truttas incolis subministrat. E regione vero ipsius Pagi ultra Buztim, ex quodam monte, qui ex præruptis undique saxis constat in CCC passuum altitudinem, unico tantum ore erumpunt uberrimæ ac perrenes aquæ, quæ illico ad Pistrini pluriumque officinarum usum largè, abundequè sufficiunt, à quibus Timaui nomen illi loco impositum fuisse credendum est. Paulo infra ex altero Primosij montis latice exoritur Riuus, nomine Moscardus, miræ rapacitatis, cuius alueo incredibilis magnitudinis saxa præcipiti gurgite rotantur, modo in summo exstantia, modo se se ad imum deprimentia, ita ut, eo durante uorticginis impetu, aqua nullibi appareat, quo sepe fit, ut illac iter facientes, siccam, aridamque arenam, quæ sollidæ telluris speciam præsefert, cernentes in eam ingressi, et ipsi, et equi Pectore et capite tenus demergantur, neque inde euadere possint sine aliorum subsidio, qui, assibus suppositis, ne et ipsi in easdem incidant uoragines,

eos tandem, ægrè tamen, inde educunt, et periculo liberarunt. solet præterea riuus hic, quod mirum omnibus uidetur, uel nullis ingruentibus imbribus, æstiuo tamen tempore placido, ac sereno cælo, eximiæ magnitudinis saxa secum trahere, eosdemque uortices efficere, quos pluuiosis, nimbosisque diebus inducit, nullibi, ut diximus, prorsus aqua apparente. Idem quoque traditum est à Joanne Boccatio de torrente quodam cerretonio inter Pistoriensem, et Lucensem Agrum fluente, nisi hoc uno à nostro differt., quod ille decennio tantum, siue paulo longiore etiam interuallo, subito, ac fortuito motu, magnorumque ex imo telluris uentre lapidum uomitione, uel incolas ipsos fallat incautos. Hic uero singulis æstiuis temporibus, easdem repetens uices, quamplurima damna agris, quos inter montium fauces lapsus præterfluit, quot annis inferre consueuit; et cum nullum latentis uis argumentum afferatur, hic tamen digna sanè, quæ in medium producantur, uel incolentium metu, et opinione effecta, uel rei ueritate nixa (nihil enim temerè affirmare ausim) non nullam rationem eiusdem commotionis adducit. Quidam enim Pastores illius Primosij montis accolæ mihi diuersis temporibus, constanter affirmare non dubitarunt, sæpe à se, dum greges et armenta illic pascerent, passim sereno cælo, tamquam uocem hominis immanem

nam

nem aliquam molem attollentis exauditam non sine magno suo pauore, eodemque pene momento ingentium saxorum ex ipso monte euulsorum fragorem; aeris etiam aliquando commotionem, tonitrua et grandines repente subsequi solere, nonnullasque interdum boues prope ipsum locum tunc depascentes precipites actasque omnia adscribunt ueteri parricidio in ipso monte, à quodam Domino, dum de eius finibus controuersia, et lis esset, perpetrato, cuius paulo post secuta morte, ingentes terrentesque uoces in hunc usque diem exaudiri, et horribiles quasdam species illis in locis uagantes uideri asserunt. Sunt etiam, preter eos, qui supradictis Quarterijs continentur, plures Pagi circa Tulmetinum Oppidum, totius Carnee caput, cui nomen dederunt preterambulantes aque Tiliauenti fluminis toto Foroiulij celeberrimi, quod et ante conditum Oppidum, et postea per multos annos Tulmentum uulgo dicebatur, eoque nomine antiquitus appellatum fuisse tam publice, quam priuate tabule testantur: postea uero mutato priore nomine, à Tilla, et Veneto ex Phaetontis genere ortis, Tilliauentum dici ceptum est. Constat siquidem Phaetontem ex Attica Regione profugum, cum Ligure eius filio, à quo Liguri dicti sunt, multis ante Oenotrium Arcadem seculis in Italia occidentalem partem sese recepisse, oramque eam, que nunc Venetia dicitur

tenuisse. Ex Ligure vero Cycnus qui Cenomanis nomen imposuit, originem duxit, et ab hoc cycno. eridanum, qui eridano fluvio nomen, hodie Padus, indidit, et ex eridano Venetum, qui Venetiam oram illam à se iussit appellari, genitum fuisse prodiderunt; à quo Tilia demum exortus, suo, et paterno nominibus iunctis, Tiliauanto nomen facit. ceterum hi Pagi, in Plebes (sic enim nonnullorum uirorum collegia patrio nomine nuncupant) diuiduntur, quarum primum tenet locum Plebs Tulmetij in eminenti urbe Butim edita loco. Proxime sunt Plebes Inuillini, Varcelliarum, et Cauatij, que singule plures complectuntur Pagos. Habet autem Plebs Cauatij, lacum ab eadem denominatum, qui non solum perfecti saporis tructas, uiginti pondo, sed etiam anguillas eiusdem pene magnitudinis, nulliusque loci secundas, lucios etiam, ac Tincas, quales nusquam alibi reperias, optimè alit; nil enim limi in eo residet, namque ipsum, pure nitidissimeque aque ex proximis montibus prodeuntes efficiunt, et in longitudinem ultra passus .m. in latitudinem uero aliquanto minus patet. Continet hec omnis Regio Pagos. C.L.I.I. sterilis autem adeo est, ut tum ob ipsius agri infecunditatem tum ob fluminum rapacitatem qua inevadibili impetu à montibus devoluta et nullis alueis contenta in agros

Undi=

a capite

a capite

undique irruunt et magnos terræ cumulos secum trahunt, fruges ad habitantium comodum, uictumque necessarias praestare nequeat. importatis tamen è Foroiulij frugibus ac uinis maxime utuntur, magnusque apud eos lactis pecoris-que usus est, pascua enim habent uberrima, montesque non minus ad pecudum innumeram turbam alendam ap-tissimos, uerum etiam procèris arboribus tam ad naualem quam ad fabrilem, et ignis usum pertinentibus refertos. Præ-terea huius regionis incolæ institoria industria uariique generis mercatura, quam non modo in Italo et Germano solo, uerum etiam in totius ferè terrarum orbis parti-bus circumferunt, sibi, et suis uictum quærunt. ex quo, non quemadmodum nonnulli falso opinantur, eos hebetes esse, stupentesque natura, sed potius callido admodum et sagaci ingenio, res ipsa demonstrat. Corpus enim, animumque assiduè exercent, diuersamque rationem, quam omnes ferè rustici sequuntur ineunt. Illi enim frigoribus parta plerumque fruuntur, nam hijemali tempore foris ac sub dio sunt, sibique adiutoria senectutis, labore et in-dustria parant. sed nè quis eos agricolturam omnino ne-glexisse existimet, nam quot annis ineunte æstate ad fruges colligendas domum reuertuntur, exactoque reliquo anni tempore, domesticis rebus compositis, ac semente

parata per hyemem intermissa negotia, statim repe=tunt, ex quò magnam sibi pecuniæ uim comparant. sii nec agricoltura, quæ ipsis solatij ac requiei loco est, neque peregri=nationis aut laboris, allicienta spè lucri, eos satietas unquam capit. Quod autem Joannes Candidus Commentariorum Aqui=leiensium lib: 1. asserit, Carnis Populis guttur adeo con=tumescere, ut mamillas plerumque excedat, credo doctissi=mum, et in historia conscribenda dilligentissimum Virum locorum imperitia, quod eius pace dictum sit, facile in errorem adductum, rari enim sunt in hac prouincia qui huiuscemodi morbo laborent. Est tamen Vallis quædam huic regioni finitima, quam Iuliam latino nomine nonnulli dixere, incolæ uero Zeliam, à flumine, quod eam intersecat, appellant, in qua, maximè circa locum nomine Lassacchium, magna hominum pars, aquarum quibus utuntur, ut ipsi asserunt, uitio, incredibilem gutturis tumefactionem patiuntur: nec solum hac cor=poris deformitate, sed etiam quadam mentis stoliditate, animique torpedine quamplures afficiuntur, ut etiam lo=quelæ usus ademptus esse uideatur. Quapropter à qui=-busdam Germaniæ Principibus (Vallis enim hæc inter Germaniæ partes adnumeratur) ut potè, qui diui=tijs, et opibus affluunt, huiuscemodi homines ioci

loco

loco in delitijs habentur, et eos in conuiuijs tempestiuis adhibent, eorumque ineptijs ad cachiños risumque excitantur, ut etiam superiore anno quidam, in gratiam nonnullorum Nobilium, non paucos huiusce generis homines, ex eo, quam supra memorauimus loco, plaustris Viennam usque aduexit. Ego, tamen magis pij ac Christiani animi fore duxerim ipsorum infelicitate ac miserijs moueri, quam stultitijs delectari. Sed nos ad propositum iter reuertamur. Hęc metalliearum quidem diuitiarum prorsus expers non est Carnorum Prouincia: argenti enim fodinę extant in Primosio monte propè Laqum Timauum, et etiam in Auantio Canalis Gorti. Ex monte quoque diui Petri prodeunt quędam aquę, quas uernaculo sermone Pudias uocant, tam hyberno quam ęstiuo etiam tempore ebbullientes, nec minus colore, quam sapore, odoreque sulphureę, quibus accolę persępe ad scabiem expellendam, et ad omnia alia, in quibus sulphur adhiberi solet, utuntur. Vua quoque circa Tulmetium, nec non et infra, et supra, exoriuntur, ex quibus uinum efficiunt, quod licet hyeme durioris digestionis acerbumque uideatur, ęstiuo tamen tempore, in mitiorem redactum naturam et stomacum non adeo lędit, et sitim mirè depellit. Carnes quoque cuiuscuis

generis et lacticinia in proximis locis primum sibi nu-
merum vindicant. Preterea venationibus, et aucupio, locus
ipse consultò à natura editus esse videtur, in quo quidem le-
porum, ac cuiusuis generis auium, ubiq. copia reperitur.
Gignunt autem superiores, et altiores Alpes candido, et niueo
colore lepores quos laqueis à uenatoribus captos, nobis non
semel, et uidere, et comedere licuit.

Quarterium autem illud quod longissimè ab Oppido Tul-
metij extenditur, triginta, quà uero proximè uiginti
millia passuum complectitur. Fuit olim in hac regione a capite
ad radices montis Diui Petri uetustissimum, ac nobilissimum
Oppidum IULIUM CARNICUM appellatum, in quo nunc
est paruus uicus qui adhuc Iulij nomen retinet, plu- hic videntur deesse nonnulla
resque diuersis in locis arces, et castra ad numerum
24; è quibus sunt Castrum Tulmetij, diui Laurentij,
Fuseę, Verzegnis, Inuillini, Subeliuij, Montę, Luintij, Ser-
cię, Sutrij, Duronij, Siaij, Illegij, et Cauatij, paulo supra
lacum, quem superius descripsimus, siti. Ceterorum uero
nomina uetustate, et scriptorum inopia periere, de qui-
bus alibi plura dicturi sumus. His autem singulis de-
letis omnium horum populorum iurisdictio per Patri-
archas ad Communitatem Tulmetij delata fuit, et adhuc Vene-
tę Reipublicę benignitate apud ipsam, eadem residet aucto-

ritas,

tas, ut inferius demonstrabimus. Qualis autem fuerit totus Forijulij status ante Aquileiam conditam, cum propter edacem temporis vetustatem ipsius ut non satis vera sic parva haberi poterit notitia, brevi compendio res tantummodo Carneae descripturus, hic omittendum esse duxi. Postquam igitur incumbentibus Barbaris, S.C. decreto à P. Cornelio Scipione Nasica, C. Flaminio, et L. Manlio Acidino, Latina colonia Aquileiam deducta est, omnem Provinciam tam superiorem quam inferiorem Romanorum Praesides et Duces, Aquileiae sedem suam statuentes, regere consueverunt, usque ad annum Domini CCCCXII, quo Alaricus Gothorum Rex è Scythia cum cc. militum millibus torrentis instar Forumiulij ingressus, superiorem et inferiorem regionem caedibus et incendijs involuit, Romamque quondam orbis dominam per annum obsessam, famaque consumptam cepit, et incendit anno ab Urbe condita M.CL XIX. Parvo postea interiecto tempore, Valentiniani Imperatoris tempestate, Attila Hunnorum Rex, innumeram Barbarorum (Hunnorum scilicet, Gepidarum, et Ostrogothorum) falangem secum trahens, Istria devastata, Aquileiam per triennium obsedit, demumque captam, funditus subuertit, sedente tunc Nicita Patriarcha decimo nono post D. Marcum. Concordiam quoque, et Altinum devastavit, ac omnem Forijulij regionem, maximamque Italiae partem, incendijs, rapinis ac caedibus foedavit, quo tempore ferunt Arcem Utini, quae in edito

loco sita, uelut specula, domos supereminet omnes, ita ut eius prospectus in Patriam ferè uniuersam se extendat, ab Attilæ militibus Aquileiæ obsidione durante conditam fuisse. Ab his autem temporibus usque ad imperium Justini minoris tam grauibus et frequentibus Barbarorum incursionibus Italiæ res afflictæ sunt, ut ad nihilum propemodum redactæ uideantur; cum breui spatio, diuersis, tum origine, tum moribus efferatisque nationibus miserrimè cuncti inseruire cogebantur, ita ut nullum habuerit firmum, ac durabile dominium, uel saltem Dominij speciem. Foroiulenses, et Carni eamdem quam cæteri Italiæ Populi fortunam experiebantur, ut eo fortasse grauiorem, quod cum omnes pené à Barbaris in Italiam factæ irruptiones per Noricum, et eam, quæ nunc Carintia dicitur Regionem fuerint, primi ad expellendam imanem sanguinis Italici sitim, quam ipsi barbari præseferebant, expositi eæ uidebantur. Infra enim prædictum tempus post Attilæ obitum, Ostrogothi, Duce Teodorico, Forumjulij ingressi prope ruinas Aquileiæ, Odoacrum Italiæ Regem prælio superarunt, omnemque demum regionem circumiacentem, ac Italiam uniuersam peruagari innumeras ubique strages, ac direptiones addidere; quos consequutus Totilas Gothorum Rex, Imperante Justiniano, Forumdulij ingressus, uniuersam Prouinciam ipsam Italiamque afflixit ac Romam cepit, et deuastauit. Alboinus demum Longobardorum Rex, Imperante Justino minore, sedente Benedicto I. Pontifice, Marliano autem

edidere

uig.

uigesimo nono Patriarcha Aquileiæ, Panoniam linquere et Longobardos in Italiam ducere constituit, innumerisque suis copijs triginta Saxonum millia adiunxit, et per eam, quæ ut supra diximus, semper ad Italiæ exitium patuit, portam, iterfacit. Pannonia enim decedens, per Noricum quæ prius Bauaria nunc Austria dicitur, peruenit in Liburniam (Prouinciam scilicet Foriiulij, hoc enim nomine et antea et nunc designata fuit), omnemque regionem illam tam superiorem quam inferiorem sub ditionem accepit, cumque Gisulphum Nepotem ei Prouinciæ præfecisset, reliquas Italiæ Vrbes oppugnare instituit, prout maiorem rerum illarum partem quam citò subegit. Firmata ibi Longobardorum sede et ultra priuato Alboino, Nobiles Longobardi, peremto successore Claffo, triginta ex Primatibus duces crearunt, quibus singulas Prouincias regendas comisserunt, et Gisulphum Forojulij proximisque regionibus præfecerunt, quibus antea à Patruo fuerat præpositus, quam regnandi rationem longè postea tempore seruarunt, donec, abominati tot ducum tyrannidem, ad monarchicum dominium reuersi sunt. His autem Iuliensium Carnorumque Prouinciam, una cum ea Italiæ parte, quæ adhuc ab ipsis Lombardia nominatur, sub ducum titulo regentibus, circiter extremum Phocæ Imperij tempus, sedente Bonifatio quarto Pontifice maximo, et Agilulpho Longobardorum Rege, Auares Hunni qui et Bauari dicuntur, è Norico in Italiam profecti, Forumiulij inuaserunt, quibus intimas eius Prouinciæ partes tenentibus, Gisul=

iter fecit.

phus Dux qui Gisulpho successerat cum omnibus ijs Provincialibus ad arma ferendum idoneis occurrit, collatisque signis acriter utrinque pugnatum est, quo in prelio Gisulphus multis confossus vulneribus oppetijt, cesis etiam quamplurimis Longobardorum millibus. Avarus autem victor, provincia passim rapinis et incendio vastata, cunctisque civium Oppidis, Cormono, Artenea, Glemona, Osopo per vim aut deditionem receptis cum exercitu ad superiores Carnorum partes se contulit, quia in Oppidum tunc munitissimum in ipso Alpium ingressu positum, Gisulphi coniugem, una cum Primatum Longobardorum uxoribus, opes omnes, locorum natura fretam, intulisse audierat. Obsederunt igitur Oppidum Avari, atque brevi tempore novo proditionis genere potiti sunt. Cum enim Romilda Gisulpho viro, ut suprà vidimus, orbata, Avarorum Regem crispo capillo insignem, aurataque Clamide fulgentem circa Oppidum inequitantem fuisset intuita, statim ipsius amore capta, sese, Oppidumque ei tradidit, facto prius inito de coniugio cum ipso contrahendo. Avarus, accepto in ditionem Oppido, una tantum nocte feminam ... se admisit, quam postea duodecim militibus tradidit abutendam, dimissaque plebe, ac preda ex Oppido contorta, illud combussit, funditusque delevit, adeo ut vix ulla vestigia postea apparuerint. Licet autem nonnulli in- vel multitium?

tar

-tur quos Candidus comentar: Aquil: lib: 4. hæc eo in loco, euenisse scribant, ubi nunc est Ciuitas Austriæ, aliique Julium Oppidum ab Auaris excisum fuisse asseuerant; opinio non placet. Ego enim pluribus nixus argumentis affirmare ausim hæc potius in Julio Oppido, quod in Carnea nobilissimum exstitisse non ambigitur, quo in loco adhuc est Pagus Julium appellatus, ab Auaris [illegible] gesta. Blondus enim decade prima lib. 9. Julium supramemoratum in ipsis montium faucibus positum fuisse scribit, idemque Justinianus Venetar: Historiar: lib: 1 confirmat. Quod quidem de situ ubi Ciuitas Austriæ posita est, nullo modo dici potest, quemadmodum plano patentique loco existens. Quocirca, omnibus quidem probabilius esse debet, Longobardorum ducem, reliquosque eius gentis primates, uxores et gazam in Oppidum Julium inter Carnos situm contulisse cum et ipsum in montium faucibus extet, et 30. millia fere passuum distans à locis hostium incursionibus expositis, distet quod quidem loco, et natura munitum exiguo militum præsidio contra longe maiorem hostium numerum defendi poterat, quam in plano, et patenti Oppido, ac primis inimicorum in Prouinciam irrumpentium incursionibus patente, cuiusmodi est memoratæ Ciuitatis Austriæ situs, omnes enim uias quibus in Italiam Barbaris iter patuit, circa Ciuitatem [esse] uel paulo longius esse, nemo est qui nesciat, ueluti Verruca montis Falconi ex Istris, Noricia longe latissima ex Liburnis, Tauriscis et Noricis, Tulmenia ex Carinthia. Constat præterea Julium ante dictum, funditus ab

exposito

Avaris eversum, ut Blondi verba plane demonstrant. Hæc enim scribit: præda ex Oppido asportata, Avares ædificiis ignem immiserunt, nec prius inde movit Rex, quam Oppidum munitissimum opulentissimumque solo æquatum. Sabellicus quoque, de Vetustate Aquileiæ lib: 4, postquam Julij eversionem, de qua superius agimus descripsit, subdit, quæ si ita se habent, Paulus Diaconus, qui eius rei auctor est, videat quomodo Oppidum, quod Civitatem appellat, Forumjulij esse possit, cuius vestigia non modo non evanuere, sed inter Oppida Patriæ locus ipse frequentissimus sit. Quibus adductus rationibus, clarissimus Nobilitate et doctrina Bernardus Justinianus, Venet: Histor: lib: 2, descripta prius Oppidi deditione, illud, inquit, Avares ab ipsis radicibus everterunt, ut non solum instauratum sit nunquam, sed ubi nam situm fuerit, nullis certioribus vestigijs aut monumentis constet, nisi quod dum in ea Provintia, Legationis munere perfuncti, admiraremur interijsse nobilis Oppidi vestigia, et scrutaremur Incolas et locum, repertus est in ingressu Alpium aliquanto supra Tulmatium Vicus adhuc, cum nobili Ecclesia ubi pavimenta conspiciuntur musivo opere depicta et lapides iuxta templum antiquis et magnis incisi litteris. Cuius loci nomen cum quæreremus, et Julium respondissent, facile intellesimus, locum esse, quem quærebamus, et Zulium corrupto nomine appellari. Hæc Justinianus. Constat autem pluribus Argumen:

gumentis Oppidum prædictum à Julio Cæsare conditum fuisse, cum illac ipse cum exercitu contra Heluetios proficisceretur. Audito enim Heluetiorum motu, Cæsar ut idem ipse lib: 1.º de bello Gallico testatur duas in Italia Legiones conscripsit et tres, quæ circa Aquileiam hyemabant ex hybernis eduxit, et, qua proximum iter in ulteriorem Galliam per Alpes erat, cum illis legionibus ire contendit. Cæterum enim Alpium aditum Heluetij occupauerant præsidijsque munierant ne illac Romanus Consul exercitum traduceret. Porro hodierno quoque die nulla est frequentior aut breuior uia ex Forojulij in Heluetios proficiscentibus uel inde reuerentibus, quam ea quæ tendit per montem Crucis in limine Quarterij S. Petri situm, in quo Julium quoque Oppidum extitisse demonstrabimus. quo in monte, uia, quæ ante difficilior fuerat, permeabilis ut fieret, à Julio Cæsare curatum est. Cui rei monumento sunt quædam litteræ, medio fere montis ascensu, magno incisæ saxo, quæ huiusmodi sunt:

Julius Cæsar hanc uiam inuiam
votabilem fecit.

Ea vero ratione Oppidum supradictum à Cæsare conditum et munitum fuisse credendum est, tum ut, si (non perdomito hoste) humanæ necessitatis uis eum à Gallia quam petebat repulisset, id post se relinqueret veluti liberi regressus

signus et præsidium; tum etiam, ne eadem uia Barbaris in Forumiulij ingredi conantibus pateret, Oppidum in Alpium radicibus, tanquam firmum propugnaculum opposuit. Insunt præterea Pagi nonnulli tam supra, quam infra locum in quo Iulium esse diximus, quorum nomina redolent antiquitatem, ut Formiæ, Satia, Arcta, Hucaria et Sutrum, quorum incolæ etiam nostra tempestate pauimentorum uermiculato opere fragmenta, marmoreasq. columnas fractas tamen exarauere; urnæquoq. in quibus mortuorum cineres antiqui reponebant, repertæ sunt, et plura etiam sepulcra è marmoris quibusdam saxis excisa. Probat insuper tum antiquitatem, tum nobilitatem uetustissimum Templum in elato montis cacumine positum, et Apostolorum Principi dicatum, cui Præpositus cum octo Canonicis inseruiunt, quorum quidem Capitulum, præter Aquiciense, cætera totius Patriæ uetustate præcedit, habetque Præpositus locum auctoritatemque suffragij in Generali Patriæ Parlamento. Multa præterea extant in ipso Iulij uico antiquitatis uestigia, ac inter cætera in Uestibulo Ecclesiæ Diui Leonardi temporis iniuria adesum quoddam saxum, in quo huiusmodi litteræ inspiciuntur.

S.S.S. A........

Pecunia refecere et inaurata
in Fastigio V......
et signa duo dederunt
Anio P.L. Principe
... Potitior sex. L. Argentillo
mag. vici.

ex eodem loco, alter lapis Venetias adductus huiusmodi est

Sex. Trbonius. sex. sex. L. Fvon....
Agontius Primi et Centi IV. C
L. Votticius. Argentill. Amo. i
Titius. T.L... Philemo.
X Trbonius. sex. L. Philogan.
Caurius Philemonis. L. Hilari.
Agontius L.L. stepanus.
Murrius Ditionis. senetio
Caurius L.L. Gratus.
La. Rus. Vetti. T. Ser.
Agistri eadem Herculis D.S.P.
L. Trbonio sex. Diphilo.
Quintilio. M.L. Donato
Mag. Vici

In angulo Ecclesiæ Plebis Tulmetij, ex eodem loco exportatum, ibique repositum est saxum cum his litteris

M. IUUENTIUS
M. F. CLA.
OCCLATUS VET.
COH. VIII PRAEF.
T. F. I. SIBI

Tulmetij quoque in ædibus Josephi Gottardis, ex eodem loco est aliud saxum

L. COMINIUS. L. M. L.
Hativa
L. L. L. Philostratus
V. F. sibi et suis
L. L. L. Cilo.
L. L. L. RÆTUS.
L. L. L. Princeps
Cominia L. L. Urbana
L. L. L. Galata

Duo item fragmenta marmorea in Vico Julij quodam muro inserta inspiciuntur his litteris

Pub.

Pub. Considius....
M. adduxere.....
Hoc Victor----
Ragontius....
Samenti.....

multa praeterea ipsius loci vestigia aut vetustate consumpta periere, aut alio incolentium negligentia asportata fuere. Haec nos disertatione prosequuti sumus eo fortasse longiore quam res ipsa per se clara exigere videbatur ut quod verosimilius de Sulij Oppidi situ legentibus videbitur id et probare et tenere liceat; et ne cui videremur parum considerate fecisse, qui aliud quam Paulus Diaconus antiquus harum rerum scriptor, et Joannes Candidus Vir apprime doctus de Sulio senserunt, tenere et affirmare ausi fuerimus: non enim parum haec argumenta doctissimorum hominum sententia comprobata nobis valere visa sunt ad dignoscendum utrum in hac potius Carnea regione, an ubi nunc est Civitatum antiquum et nobile Julium Oppidum extiterit. Ista autem à nobis, non contentionis alicuius gratia scripta sunt, à qua, et natura, et instituto semper abhorruimus, sed ut Patriae nostrae, cui vitam ipsam nos debere fatemur, quantum in nobis est monumentis consuleremus. Julio Oppido igitur ut supra vidimus, famina libidine et grave capto funditusque everso magnam Avares praedam, ingentemque mortalium numerum secum abduxere. captivorum

Civitas Austriae

inter quos Caco, et Taso maiores natu, ac Rodoaldus et Grimoaldus minores Gisulphi filij capti sunt, duaeque eorum sorores quae non modo forma singulari sed etiam spectata pudicitia insignes, summis postea ducibus in matrimonium collocatae sunt. Porro adolescentes parvo interiecto temporis intervallo hostiles manus evasi, et in Patriam reversi non modo paternum Ducatum recuperavunt, sed etiam latissime protulerunt. Nam ultra Patriae huiusque superioris regionis fines eam Germaniae partem quae nunc Zelia corrupto vocabulo, olim Gulia dicebatur, ut libri initio ostendimus, imperio suo addidere. Sed dum Caco et Taso mirabili concordia Ducatum regunt, Gregorij Romani Patritij fraude, Opitergium accersiti, ibi dolose (licet non inulti) et crudeliter occisi sunt quorum necem Grimoaldus eorum frater, Longobardorum Regno adepto graviter ultus est, ita ut Opitergium, ubi caedes patrata fuerat, funditus everterit. Tasoni et fratri in Foriiulij Ducatu successit Grasulphus Patruus, aegre id ferentibus Rodoaldo et Grimoaldo Tasonis fratribus adolescentibus quo vita functo venit ad Ducatus dominium Ago illius Filius, quo itidem ab humanis secesso, Lupus Ducatum adeptus est, cuius quidem nomini mores nimium congruebant mira namque fuit rapacitatis ut ne Ecclesiasticis quidem ornamentis parceret. Is demum cum Avaris a Grimoaldo Rege contra eum conductis pugnans interijt.

Una

una cum Varnephrido eius filio dum armis Paternum Principatum recuperare conatur. Post hunc Lautharius Ducatum obtinuit sed nihil memoria dignum gessit cui successit Rodoaldus qui dum à Patria abesset ab Ariprito quodam ducatu expulsus fuit. Ariphritus tandem Principatum fraude comparatum paulo post amisit, à Cuneberto enim Rege, Verona captus, et luce orbatus in exilium cedere coactus fuit. Quibus ita se habentibus, Addo Rodoaldi frater, tamquam Legatus ducatum administrauit et post hunc Pertuallus qui Sclauos hostes aggressus temeritatis suæ pœnas dedit, miserabiliter enim cum magna Forojuliensium parte cecidit eique Corvulus Dux subrogatus est qui cum Regis iram in se concitasset oculis orbatus in exilium relegatus est. Huic Pemo in Ducatu substituitur, qui Sclauos triplici prælio ingenti edita strage, adeo deuicit ut longo post tempore Forojuliensium arma formidauerint. Cum autem Pemo Calistum Aquilejensem Patriarcham Luitprandi Longobardorum Regis ope ad Patriarchatum assumptum in mare deiectum uellet, ab ipso Rege ducatu spoliatus est cui Rachis filius suffectus fuit. Circa autem hæc tempora Desiderius ultimus Longobardorum Rex, cum Adriano Pontif. max. bellum intulisset, à Carolo magno Francorum Rege ingenti prælio deuictus fuit, et una cum Vxore liber-

risque captus, Lugduni perpetuum egit exilium; sicque Longobardorum Regnum, quod in Italia annos 204 floruit, penitus interijt. Eam tamen cladem Berengarius Forojuliensium dux, genere Longobardus, paulo post ultus est, Ludovicum namque ex Carolo Magno prognatum devicit, ipseque postea Imperij sceptrum, quod Franchi multos gesserant annos, assequutus est.

Carolus magnus vir, et rebus bellicis et pietate insignis Paulino Aquileiensi Patriarchæ complures pagos et jurisdictiones in Foroiulij, et Istria liberaliter largitus est. Quæ quidem omnia non solum à Lothario, Berengario II et alijs Imperij successoribus ad Othonem usque rata habita fuere; uerum etiam ab ipso Othone non pauca Aquileiensis Patriarcha obtinuit Privilegia. Hic fuit Otho Imperator eius nominis tertius qui anno Salutis 991 Imperium à Gallis et Longobardis in Germaniam transtulit, Gregorij V. Pontificis maximi eiusdemque Nepotis decreto. Conradus postea Cæsar illius nominis secundus Poponi Patriarchæ universum Ducatum Forojuliensem, et Istriæ Marchionatum, cum innumeris pagis tradidit, eumq. Episcopis viginti Ecclesiarum præfecit sicque Forojuliensium Ducatus à Longobardis ad Aquileienses Patriarchas translatus fuit anno Domini vigessimo quarto supra Millesimum.

Liber 2

Liber Secundus

Quia superiore libro dum de Vniuerso Forojulij statu ageremus, nonnullorum Patriarcharum, qui Ducibus summam rerum administrantibus, sacris tantummodo preerant, obiter mentio facta est; atque ad hunc locum tandem deuenimus, quo quemadmodum Aquileiensis Ducatus cum Istria Marchionatu coniunctus ad eosdem Aquileienses Antistites, Caesaris liberalitate fuerit translatus, ostendimus, opere pretium fore existimaui si hic de ipsius Patriarchatus initio, de diuini uerbi à primis illis nostrae salutis auctoribus, semine iacto in hac Regione quae communi omnium uocabulo Patria, ad indicandam mutuam charitatem, appellata est, de nonnullorum denique Patriarcharum rebus gestis, ijs scilicet, quae ad propositam materiam pertinere uidebuntur, reliquis usque ad Popponem Patriarcham sub silentio positis pauca percurrerem. Quod quidem eo breuius mihi faciendum intelligo, quia haec ipsa pridem à doctissimis uiris quorum monumenta quotidie inter omnium manus uersantur, uberius, ac feliciore stylo descripta fuisse non sum nescius. et si eorum scriptis quidquam fidei detrahere, aut ab ipsis quasi praetermissum supplere conarer non iniuriae, non arrogantiae à quibus longissime absum crimen mihi est obiiciendum. Post igitur iacta Antiochenis Ecclesiae fundamenta, cum Petrus Apostolorum

Princeps, Romæ totius Christianæ Reipublicæ sedem collocasset, primusque ibi summus Pontifex ac Christi Vicarius divinâ afflante gratiâ feliciter Ecclesiam administrant; Marcum discipulum suum, qui breue Euangelium ex ipsius Apostoli ore exceptum conscripsit, Aquileiam, tunc inter Vrbes Italiæ clarissimam, ut illic divinum verbum disseminaret, dimisit. Hic Forum Julij ingressus, primus ibi Christum annuntians, Ecclesiam constituit, tantaque se præbuit doctrinâ et vitæ continentiâ, ut omnes Christi sectatores per eius uestigia, gressus suos dirigere niterentur. Post aliquod vero tempus, Marcus Præceptorem suum uidere Romamque se conferre cupiens, clamante Populo, Pastoremque postulante, Hermagoram Aquileiensem Pastorem declarauit, quem secum ad Apostolorum Principem perductum, ac quasi pretiosissimum talentum, ad ipsius Pontificis pedes proiectum, ab eodem in Patriarchatu confirmandum curauit. Ne uero Aquileienses diutius Pastore carerent, Hermagoras accepto baculo Patriarchatus insigni, reuersus in Patriam, Aquileiensem Ecclesiam miro composuit ordine, ac tandem à Nerone Imperatore una cum Fortunato diacono, ceruicibus abscissis martirio decoratus est uti quidem non pauci illius successores sauientibus Imperatorum persecutionibus, per ago=

nem

nem Martirij ad Cælestia Regna aduolarunt. Constantino uero Magno ad Christum conuerso cum Imperatoris edicto in Christicolas à Præsidibus institutæ insecutiones defervuissent, cæpit christi nomen ubique una cum Patriarchali dignitate coalescere, quæ quidem in Aquileia mirabiliter aucta est usque ad Nicetam Patriarcham XX. qui sedit annos 32., quo tempore Aquileia ab Attila deuastata, ac solo æquata est, non adeo tamen, ut hii Patriarcha, eiusque Vicarij usque ad Paulinum in ipsius Urbis ruinis residere desiterint, tum illius reliquias instaurantes, tum etiam totius Prouinciæ Populos quantum in eis erat reformantes. Verum cum Longobardi, sedente eodem Paulino, uniuersam Prouinciam superiorem et inferiorem, ut p.o Lib.o demonstratum est inuasissent, omniaque rapinis et incendijs crudeliter fœdèque uastassent, idem Antistes Patriarchalem sedem, totamque illius gazam Gradum transtulit, quam postea nouam Aquileiam appellauit, ibique sederunt Patriarchæ usque ad Joannem 28 qui Antistes creatus de Agisulphi Longobardorum Regis uoluntate deinceps et ipse, et eius Successores usque ad Calistum XXIIII Cormoni sedem Patriarchalem collocarunt, Episcopo, quem sibi Longobardi delegerunt, in ciuitate Austriæ iusdicante. Calistus igitur ingentis uir animi ac clarissimo sanguine natus, Patriarchalem sedem in loco obscuro, Episcopum uero in nobiliori constitutum indi=

gnatus, Amatorem Episcopum ex ipsa Civitate deiecit, quo ipse mox cum Sede migravit, ibique singuli eius successores commorati sunt usque ad Poponem Patriarcham qui Forojulij Principatu, Istriæque Marchionatu coniunctis, Aquileiæ iterum sedem transtulit ubi gratus ac periucundus omnibus vita decessit. Reliquorum vero Antistitum res gestas usque ad Bertoldum hic omittendas ēē duxi, cum nihil nobis ad institutam Historiam pertinere videantur, cuius quidem tempestate eiusmodi Carneæ status fuit, cuiusmodi eum inferius demonstrabimus. Nam à Julij Oppidi euersione, quam superior docuit liber, usque ad ipsum Bertoldum Patriarcham, plures, et generis nobilitate et diuitiarum copia pollentes, hanc Carneæ Prouintiam incolere non destiterunt; Cumque Sisulphi Filij Paternum Principatum vindicassent, quibuscumque de se fuerant benemeriti, ijsdem Castrorum, quorum adhuc in Carnea extant vestigia, ædificandorum potestatem permiserunt, et adiacentium Pagorum iurisdictionem liberaliter largiti sunt. Sic Castrum Tulmatij, Illegij, Sancti Laurentij, Invillini, Suberuij, Montis Luintij, Siaij, Saccia, Sutrij, et quæ alias memorauimus, cæteraque plura, quorum nomina vetustate periere, condita sunt, quæ penes etiam totius Prouintiæ Carneæ iurisdictio, prout cuique Principes liberaliter fuerant largiti, diu permansit. In quorum numerum reponendum etiam

cen=

censeo Castrum ubi nunc Ecclesia Protomartiri Stephano dicata erecta est, edito in loco paulo supra lacum Cavatij, cuius rei argumenta esse possunt, cum lapides, tum ueteres nummi à pueris civium ipsum locum suos pascentibus greges effossi. Ego quidem proxime uidi duos nummos ibidem exaratos, alterum quidem aureum, in quo ex una parte Iustiniani Imperatoris effigies, ex litteris appositis expressa conijcitur, ex altera uero uictoriæ, qualis à ueteribus fingi solebat cum eius nominis inscriptione cernitur. Alterum uero Æreum, in quo ab uno latere C. Portij Catonis ab altero uero Calphurniæ L. Pisonis filiæ effigies expressæ uidantur.

Verum enim uero, quæ in hac Regione usque ad Bartoldum acciderunt, cum nihil prorsus comperti, præ scriptorum inopia, reperiri potuerit, ea describere nobis minime licuit. Cæterum ipsius Bartoldi tempestate qui Moravienssis Ducis filius, dum Coloniensi Archiepiscopatui præesset ad Patriarchatum delectus fuit, intestinum contra eum bellum exoritur. Plures enim Forijulij et Carneæ Feudatariorum Castrorum domini, eius imperium detrectabant, inter quos fuisse commemorantur Federicus, et Arturius Caporiaci, Henricus Villalteus, Dietrius Fontebonus Arturius Strasoldus, Rodulphus Sauornianus, Corradus, et Arturius Castellarij Barnardinus, et Ludouicus Soffumbergij, Iacobus Budrius, et Aldericus Pulca=

nicus. Hi omnes quo facilius Patriarchae obsistere pos-
sent, adiunctis sibi Tarvisinorum viribus anno CCXIX
supra millessimum ante diem 17 Kal. septembris coram
Qualino Romano a Vicecomite de Vicecomitibus Foroiu-
lij Praeside, in civium numerum adscripti fuere, singulique
omnia Castella in Foroiulij et Carnea ditioni suae subiac-
ta Tarvisinis cesserunt donoque dederunt inter quos Fede-
ricus, et Arturus Caponiaci, non modo Lavcantum, Porpe-
tum et Caponiacum, verum etiam Castrum S. Laurentij,
et Castrum Sivittini quae in Carnea ipsi obtinuerant, con-
cedere non sunt veriti. Insuper unasimul Tarvisinis
in subsidium belli CL librarum millia denariorum
Veronensium polliciti sunt quorum Aldericus Polcenicus
18. Soffumbergius 3. Villatus 32. Castellarius 3. Butri-
us 5. Savornianus 8. Strasoldus 8. Fontebonus 6. Fe-
dericus, et Arturus Caponiaci 32 librarum millia, alij
reliqua praebuerunt. Cum vero Tarvisini, additis ijs, quas
commemoravimus Foroiuliensium copijs, plura non mo-
do Feltrensi ac Bellunensi, sed etiam Aquileiensi Ecclesiae
damna intulissent, gravioraque in dies inferrent, tandem
anno salutis 1219. quarto Kal. Nov. Honorius tertius
Pontifex Max., Patriarchae illiusque Legati precibus, ac
lacrymis permotus, Tarvisinis, eorumque socijs sacris in-

ter-

terdixit. Praeterea a Principe Venetis, Patauinis, Vicentinis
ac ueronensibus ut, dum Taruisini, socijque in eiusmodi per=
tinacia permanerent, eorum aditus, et commercium effugeren=
tur contendit. Idem tamen Pontifex restitutis prius in grati=
am, inque sedes Patrias reuersis, quascumque inter ipsos et
Patriarcham Aquileiensem dissensiones sedandas curauit, An=
tonio Concordiense, et Leonardo S. Pauli Parocho arbitris datis;
quae quidem in re praecipua Hugonis Hostiensis Episcopi Ponti=
ficisque Legati opera emicuit, reddita Prouinciae pace. Cir=
ca haec fere tempora Portugruense Oppidum aedificari coeptum
est, et Chezelinus Chezeli Comes Germanus Monasterium
S. Galli nomini dicatum quod Mosacense dicitur, aere suo
construxit, amplissimaque fructuum accessione ditauit. De=
mum, Bertoldo uita functo, Gregorius Montelongus magni
animi uir, ob egregiam ab eo pro Catholica Ecclesia nauae=
tam operam ab Innocentio IIII in Patriarcham assum=
ptus est. Ferrariam enim, quae (dum ipse Pontificiis nomine
Bononiae praeesset) ad Federicum Caesarem desciuerat, ui
cepit, Parmamque, ab eodem Federico obsessam, liberauit.
Is dum Carneam Prouinciam, prout caetera Patriarcha=
tus loca undequaque uisitasset, ut in Castro Tulmetij, ut
ipsius Regionis statum componeret, aliquandiu commoratus
fuisset, loci situ, licet montibus undique septo, delectatus,
Forum ibi constituere decreuit, ubi nunc est Oppidum.:

ut in dies maiori hominum frequentia adaugeretur. Cum enim tunc erant Visitia. Quamobrem publico sanciuit edito, quod quicumque, uel alienæ Iurisdictionis domos ædificare posset in ipso Tulmetij Oppido, tum etiam prata, pascua, terrasque incultas ad culturam redigere ac cuiuscumque generis ædificia supra riuos, et flumina per ipsum agrum labentia construere liceret. Insuper ut Populi externi Carnique, Oppidum ipsum, tum spe lucri alliciti, tum etiam necessitate coacti frequentarent, uetuit, ne quo in totius Carneæ Loco, quisquam siue Forensis, siue Carnicus, aliquod mercimonij genus exerceret, praterquam in Foro Tulmetij, grauibus ijs qui secus fecissent, propositis pœnis. Quo factum est, ut in dies locus ipse, non incolentium modo numero, uerum etiam Mercium frequentia coalesceret. Idem quoque Patriarcha Quitpertum Subelauium, qui prius subelauij castrum, iure recti et Legalis Feudi acceperat, confirmauit in omnibus Feudis, quæ tunc Armaniæ dicebantur, olim ad Castrum Secciæ pertinentibus. Anno postea 18. pontificatus, Gregorius in Ciuitate Austriæ decessit, ibique sepultus iuxta Paulini tumulum, cui in successorem electum Philipum Carnuntii ducem, cum nollet Gregorius X Pont. Max. in Patriarcham confirmare, sedes quadriennio uacauit. Demum idem Pontifex, Raimundum Turrianum Mediolanensem, Comensemque

Episco:

Episcopum in Patriarcham delegit, qui quidem illustri genere natus, (cuius enim Genitor de Mediolanensi Principatu cum Vicecomitibus tunc decertabant) ijs omnibus fulgebat virtutibus, quæ domi, forisque, vero Principi digna desiderari solent. Ab Vniversis enim Forojulij Populis ingenti, supra quam dici potest lætitia, exceptus, mirabili æquitate, creditum sibi Principatum administravit, tantumque abfuit ut aliena usquam appetiverit, vel nova aliqua populis onera imposuerit, licet diversa bella gerere coactus esset; ut vel ea, quæ sibi iure optimo, communi omnium consensu debebantur, magnificentissimè remiserit. Cui rei testimonio sunt inter cætera magni momenti vectigalia Utinensibus condonata, Mœnia quibus Oppidum Tulmetij septum est inchoata, portoriumque omnium rerum in ipso Oppido vendendarum Tulmetinis liberaliter remissum: Quare non immerito in apice Portæ, et inferioris et superioris prædicti Oppidi in hodiernum usque diem Turris et sceptra antiquissimum Familiæ stemma conspiciuntur, quæ Tulmetini beneficij memores, et observantiæ suæ erga Turrianorum Familiam in monumentum posuere. Privileggia quoque et immunitates à Gregorio eius prædecessore concessas per publicas litteras ratas haberi mandavit. Cumque de statutis super rebus in Carnea vendendis disceptaretur, ipse Raimundus antecessoris sanctionem ita interpretatus est ut scilicet Carnis Populis* in locis res ad victum necessarias cuiusvis generis inter se

*ubique

uendere liceret, dummodo nemo rem ab altero emptam uendere auderet, cum rem emere, emptamque uendere minime sit rem ipsam ad usum suum comparare, uetuitque graui indicta pena, ne quis mercature gratia quidquam uenderet, preterquam Tulmetij. Cum uero antiqua Feuda Castrorum S. Laurentij, et Spuilimi, alias per Victalmum Capriacum, et Federicum eius Filium possessa, ad Patriarchalem sedem deuoluta essent. Artuicus de Castello, prestito prius more maiorum fidelitatis iuramento, eadem ab ipso impetrauit anno à Christo nato 1281. Hoc itidem anno Riccardus Subeleuius sponte, et liberè partem suam Castri Subeleuij, Pagique inherentis in manibus eiusdem Antistitis cum resignasset, Stephano ipsius Riccardi propinquo tradita fuit. Circa hec fere tempora Cumannus quoque, et Franciscus Illegij Carnee, plura eorum insignia Feuda, Leopardo et Prugnessio fratribus Ciuitatensibus largiti sunt, que postea ab ipsis, siue heredibus Ciuitatensi Capitulo iure legati relicta fuere: quorum hodierno quoque die ab eodem Capitulo fructus in Carnea exiguntur. Raimundo postea uita functo, Petrus Gerius Capuannus Archiepiscopus Patriarchatui prefuit annum unum, dies decem, cui Ottobonus Patauinus Episcopus successit, nonus et sexagesimus Patriarcha. Is graue bellum gessit cum Carintijs Ducibus, et Ricardo Caminensi,

cui plures tum Foroiulienses, tum Carni Castellani adhaerebant, Donum cum in illius subsidium Enricus Goritiae Comes cum auxiliarijs copijs uenisset, eumque Patriarcha totius exercitus Imperatorem declarasset collecta magna militum manu, et fauentibus alijs omnibus Ciuitatibus tam supra, quam infra signisque collatis, uictoria potitus est. Nec mora, Goritiae Comes Patriarchae iussu, ijsdem cum copijs quibus hostes deuicerat, Butrium obsedit, cepit et diruit, Perpetumque Henrico Pramporgio Equite, capite mulctato expugnauit. Castra inde
metatus est ad Caporiacum, diuque obsessum, uicta tandem Ludouici Caporiaci pertinatia, incendit, ipsumque Ludouicum Goritiam duxit captiuum, quem postea saua coniux pluribus in Villalta et Zucanico praedijs, Comiti pro eius redemptione traditis, captiuitate liberauit. Eiusdem quoque Patriarchae tempore Illegium Castrum igne, uel casu, uel consulto ut multi opinantur, funditus combustum est, paucisque postmodum annis Ludouicus Illegius, cum plura bona sua Capitulo S. Petri in Carnea concessisset, ipse una cum Federico, Hermanni Illegij filio, ac Guerando Henrici Quintij pariter filio Ciuitatem Austriae migrarunt, ubi inter nobiles ciues ascripti fuere.

Ottobono successit Castonus Turrianus, qui immatura morte praeuentus, Patriarchali sede frui non potuit, deuoluta dignitate in Paganum ex eadem Familia ortum. Anno à partu Virginis 1323. Tulmetini tunc primum ciuilibus discordijs conflictari capti sunt, Ancillottus enim et Joannes Bertoldi, nec non Federicus Candidus, cum sibi prae caeteris ciuibus —

opibus, et divitiarum copia affluere viderentur, libertatis dono abusi, Tyrannidem agere caeperunt, nactique plures, quos egestas ad quoduis facinus impullerant, omnium quemque, qui eorum de=perditos mores aversabantur, gravibus afficiebant iniurijs, et eo usque ipsorum excreverat impudentia, ut vix ab honestio=ris vitae mulieribus indignas continuerint manus. Quamob=rem excitato repente universi populi tumultu et in eos Tulmetinis irruentibus certatim, pluribus confodiuntur vul=neribus, ut cadavera diem noctemque insepulta iacuerint, propinquis ipsorum iram populi metuentibus, nec huma=re audentibus. Sic parum meritis finem habuerunt ij, qui divinis humanisque legibus posthabitis Patriae qui=etem turbare ausi fuerant. Anno tricesimo quadragesi=mo supra millesimum, Ermannus, et caeteri Castri Mon=tis consortes, Bertrando Patriarchae, in mortui Pagani lo=cum suffecto, partem Feudorum seu Armaniae, Carciuen=ti, et Paluziae Pagorum vendiderunt, itemque eo qui proxime secutus est anno, à Francisco, et Odorico Quat=tarijs, Candidi filijs, Guerardoque eorum Nepote Civi=bus Tulmetinis, reliquam Feudorum eorundem portionem, idem Bertrandus mercatus est. Hermanus quoque et Henricus Quintij partem Castri Zeachi, quam olim Fran=ciscus Zeachus obtinuerat, Petro Zeacho Andriutij filio vendidere. Verum hisce temporibus Comites Pratae et Brugnariae, Beachinus Purliliarum comes, Vallus, Ber=

toldus

Toldus et Henricus Spilimbergij, Consortes Collorati, Caporiaci, Frisani, et Murutij, Urmanus aquas, et Henricus Suintij Carnea, Hermagoras Turrianus, Ioannes Franciscus Turrianus, Ioannes Franciscus Porpetanus Ciuitatenses, Portunaonenses, pluresque alij, adiunctis sibi Comitis Goritia copijs auxiliarijs, à Patriarcha desciuerint, cum nimium aduersa partis hominibus Bertrandus indulgere uideretur, grauisque iam inter ipsos bellum exortum fuerat, multaque damna utrinque illata, donec Apostolici Legati opera induciæ ad tempus inter Patriarcham, et Goritiæ Comitem, cæterosque eiusdem factionis, pactæ sunt. Hinc Patriarcha, plura magnifica opera Vtini et alibi in Patria Foriiulij ædificanda curauit, ac inter cætera Clusiam, qua in Carnuntum iter est Mosardamque arcem, decem millibus passuum supra Tulmatium per quam in Vallem Iuliam tenditur, à fundamentis erexit. Reliqua ab eo gesta, eiusdem epistola, à Candido lib. I regesta, demonstrat. Is demum dum Vtinum reuertitur, paulo infra Spilinbergum, nil huiusmodi timens, à nonnullis per insidias circumuentus, occiditur; cuius corpus Vtinum allatum, honorificè in marmorea quadam Arca, quam ipse dum uiuerat SS. Hermagoræ, et Fortunati ossibus seruandis, destinauerat, Vtinenses condidere, eique ad quoddam tempus, diuinos præstiti sunt honores. Nuper uero

Cæsar de Nores Parentinus Episcopus Apostolici Visitato=
ris munere fungens in Patria, Bertrandi corpus in Tem=
plo maximo, ubi servabatur, sepolturæ tradi iussit, eiusque
venerationem penitus abrogavit. Hæc tamen Patriarchæ
huius cædes inulta remansit. Nicolaus enim Boemo=
rum Regis Filius Caroli IV. Cæsaris frater, ut ad Patriar=
chatum delectus est, nihil sibi antiquius digniusque ar=
bitratus, quam ut prædecessoris cædem ulcisceretur, magno
coacto exercitu, Castrum Porpetum expugnavit et evertit;
Caporiaci partem solo æquavit; Joannem Franciscum Por=
pretanum, Henricum Spilinbergium, ac Rizzardum Varmen=
sem capitis supplicio affecit, cumque omnes nefandæ co=
niurationis reliquias persequi decrevisset, in Carneam
exercitum duxit, ibique Harmannum Quintium equitem
illustrem et magni animi, magnæque apud Carnos aucto=
ritatis virum, qui Quintium Castrum, ubi nunc Parochi=
alis Sorti Ecclesia extat, antiquo iure obtinebat, seque
eo, et loci natura, et ijs, quas secum habebat copijs fretus,
receperat animo parato ad se tuendum, quatenus Patriar=
cha sibi vim inferre vellet, oppugnare instituit. Interim
iubet omnes, qui arma ferre valerent, quamprimum
convenire, in primisque Castellanos omnes, inter quos Qu=
itpertum Subelcurium, qui cum longissimam interposuis=
set moram, tandem ubi nullum tergiversationis locum
esse

esse videt, aegrè eius obtemperavit imperio. Hic et sibi, ob multa comissa flagitia ac praecipue ob stuprum duarum nobilium Virginum, quas inscijs parentibus secum in Castrum suum adduxerat, non modicum timens, et Hermanno arc=tissimo necessitudinis vinculo devinctus, clandestinis cum ceteris Castellanis inditis consilijs, de communi libertate multa questus, non modo Patriarchae auxilium denegandum sed Hermanno obsesso, subsidium ferendum esse censerat. Effecit itaque, ut et ipse, et Castellani penè omnes, litteras ad Hermannum clam mittere decreverint, quibus ipsum hortati sunt, ne deficeret animo, sed pristinam virtutem retineret; prope diem enim omnium copias illi in subsidi=um venturas. Traditis cuidam litteris ad Hermannum nocturno tempore perferendis, à Patriarchalis exercitus ex=cubijs interceptae et ad Antistitem delatae sunt. Quibus perlectis Patriarcha, cognita Castellanorum perfidia, ac nemini communicato consilio, iussoque eum, qui littе=ras attulerat in vinculis servari, exitum rei sibi expec=tandum esse statuit. Postero die, cum nihil de litterarum interceptione Quitpertus inaudisset, veritus ne à multitu=dine proderetur, dissimulato consilio, in castra Patriarchae cum copijs suis profectus est, ubi se de diutina mora purgare coactus, nullum gravius responsum accepit. Hilaris ergo Sublevius, quod bene sibi ex animi sententia even=

niva putabat, statutum tempus, quo cæteri omnes, qui
auxilia polliciti fuerant, conuenirent auidissimè expecta-
bat. Interim Patriarcha diu noctuque sollicitus, ac vigilans
in locis editioribus præsidia posuit, hostesque aquatione pro-
hibuit. Erat Lurinium Castrum (ubi nunc visitur Eccle- a capite
sia) in summo, sed leniter declivi colle situm, cuius ra-
dices Decano fluvio alluebantur. Superius erat planities,
quæ duorum fere millium passuum in longitudinem,
in latitudinem vero quingentorum spatio patebat, reliqua rupi-
bus, et montibus arctabantur. Hac in media planitie Pa-
triarcha Castra posuerat, neve repentinis imbribus flumen per-
transire prohiberetur et exinde pabulari commeatumque commo-
dè asportare, Sublicium pontem in eo configendum curavit,
qui pons hodierno quoque die incolis ad Ecclesiam sacrum con-
uenientibus inservit. Neque vero Patriarcha obsidionem
intermittebat, eoque cautius præcauebat, quo propior erat dies
in quo ex Castellanorum litteris didicerat Hermanno subsidi-
um esse venturum, Subduriumque habebat in Castris, cui
consilium suum omnino ignotum esse cupiebat. Interim quo-
que die Hermannus ipse, una cum Henrico filio, levibus præ-
liis cum Patriarchali exercitu decertabat, moxque se intra Cas-
trum recipiebat, id agens consulto, ut Patriarchæ opera quam
maxime posset disturbaret, copiasque averteret, quo milites sui
comodius aquam, cuius premebantur inopia, ex præterfluente
flu-

fluvio haurire possent. Cum vero ex captivis cognovisset Patriarcha, hostes diutius aquae inopiam ferre non posse (occupaverat enim proxima fontibus loca) eoque redactos, ut nisi siti extingui vellent, eis fluvius necessario esset adeundus; dispositis praesidiis in eam incumbebat curam, ut omnes collis descensus diligentius custodirentur, ne qua nocte perduelles ad aquandum erumperent. Hermannus iam fere agens extrema, fluribus, et iumentis et hominibus siti consumptis, intelligens sibi vel de deditione vel eruptione consilium esse capiendum, sustinendum tamen aliquantisper, et experiendum esse decrevit opinatus aliqua ex parte, tot malis remedium affuturum. Itaque media circiter nocte, delectos nonnullos expeditos milites ex castro adaquatum mittere statuit ex ea parte, qua flumen colli subesse ostendimus, iuncto eis valido veteranorum praesidio, cui Henricum filium praefecit. Quod cum ii, qui in superiori colle iacebant, cognovissent, caeterosque qui in castris erant commilitones certiores fecissent, à tergo hostes adorti, ad unum omnes interceperunt et inter alios Henricum Hermanni filium, ad Patriarcham deduxerunt, quo diligenter asservari iusso, sequenti die obsidioni finem imponere cupiens, castrum totis viribus oppugnare praecepit. Hermannus cum per multas horas, eorum, quos aquatum miserat, frustra reditum expectasset, pessimum suspicatus eventum, nec tamen animo fractus, audacter resistebat. Sed Patriarcha, Hermanno nullatenus cedenti, Henricum eius filium in vinculis positum ostendit,

minitans, si in pertinatia durauerit, de eo ultimum esse sumptum supplicium. Quem cum uidit Hermannus Paterna commotus miseratione, statim abiectis armis, non tam sibi quam filio uitam deprecatus se in Patriarchę potestatem dedit, qui adeo coniuratorum, à quibus sibi periculum imminere uideat, odio exarsit, ut quatenus questione adhibita, Hermannum, filiumque cędis participes fuisse comperisset, meritas de eis pęnas sumere, nullique reo culpam condonare sibi in animo proposuit. Ambos igitur in catenas coniecit, simulque Quitpertum Subeleuium, quem à Patriarcha accersitum, inuitum tamen in ipsius castra, sed dissimulato animo tandem aduenisse, cuiusque eas quę ad Hermannum litterę mittebantur, interceptas fuisse superius docuimus, subito comprehendi, et uinctum custodiri iussit, ut coniuratione patefacta, singulos ulcisceretur. Ac ne hostem post se relinqueret, neue cui facinoroso impostenum se in illud Castrum recipiendi facultas daretur, funditus diuelli iussit, statimque ad Castrum Subeleuij conuersus est cum omnibus copijs, ubi cum imparata omnia offendisset, Quitperto nihil de Patriarcha cogitante, ipsius uxorem cum filio impubere cepit, Castroque sine ulla contentione potitus est. Cognita postea causa, cum Quitpertum, et coniurationis participem, et plurimorum flagitiorum auctorem comperisset, eumque una cum Hermanno, et Henrico Hermanni filio capite multasset, Castrum euertit. Minoris tunc Quitperti filius, erat ętatis, ideoque culpę expers à Patriar-

cha

ita creditus, misericorditer agens, sublata modo iurisdictione,
paterna bona ac Feuda ei restituit; atque inde profectus Invil=
linum in edito Colle situm, quia omnes Castellanos coniuratio=
nis conscios sciebat, omniaque Castra in Carnea, propter nimi=
am incolentium licentiam, libidinemque, ab omnibus odio ha-
beri constabat, penitus deleuit, publico statuto Edicto, ne quis
ea ullo unquam tempore instauraret. Clades ista non tam
peculiariter Carneam percussit, quam Vniuersum ForumIuli=
um; siquidem, ne Castris quidem Laventi inferioris, Melsi, Sof=
fumbergij, ijsque omnibus, quæ superius memorauimus pe=
percit. Cunctis igitur solo æquatis, iussis coniuratis meri=
tas pendere pœnas, absentibusque perpetuo mulctatis exilio,
Nicolaus tandem pacato, ac tranquillo animo Carneæ saluti
consulere cupiens, quam ob Castrorum desolationem, quæ plu=
ribus eius regionis Pagis præerant, nouis institutis indigere
intelligebat, Tulmetium se contulit i ibi aliquot commoratus
dies, summam erga se, et Aquileiensem Ecclesiam, Ciuium
Tulmetinorum fidem expertus, quod et ipse publicis testatus
litteris reliquit, ut singularis obsequij præmia sentirent, et
Oppidum ipsum pro communi utilitate augeretur, contraque
hostiles impulsus muniretur, Communitati Tulmetij omnia
uectigalia et census Aquileiensi Ecclesiæ tam in Oppido
quam in agro debitos in annos uiginti condonauit, ea
tamen lege, ut ad Oppidum muniendum, mœniaque perfici=
enda inseruirent. Nec satis sibi uisum. Animo uoluens dis=
persam Vniuersæ Prouinciæ iurisdictionem in unum colli=

gere, ac quasi non bene regenti corpori, et in membra di-
stincto caput, quod ceteras partes in officio continent, attribu-
ere, totius Regionis predictæ Communitati regimen conces-
sit. Statuit insuper, ne impostenum ullum pignus, ultra
denarios quinque, alibi, quam . . Tulmetii venderetur, ne-
ve controversiæ omnes, quæ octo denariorum summam ex-
cederent, ac Civiles, capitalesque quæstiones, à quopiam† in
Curnea, quam ab eius prefecto, quem Castaldionem nuncupavit,
et Iudicibus quorum electionem Comunitati permisit (ut in
eius diplomate satius habetur) terminarentur. Eximia ista
liberalitate erecti Tulmetinorum animi sibique honorificum
quidem, sed grave impositum onus ab Amplissimo Antistite
sentientes, ut scilicet tot hominum millibus præessent, sibi
ipsis in primis leges dicere, moxque cuncta† ad rectum vi-
vendi ordinem pertinentia, in unum conflare ac sancire
statuerunt. Sex igitur Consules initio creati, ipsique comissa
potestas revisendi, ac quatenus opus forent, corrigendi statuta
tam ad iuditij ordinem, quam ad rectum imperandi modum
facientia, quæ quidem in eam quæ nunc visitur formam
redacta, et à Consilio, et ab ipso etiam Antistite, comproba-
ta fuere. Viginti exinde Consiliarij electi ex Civium nu-
mero, quibus Oppidi totiusque† ditionis administratio deman-
data, et si unus vita migrarat,† sequenti Comitiorum die, qui
est pridie Kal. Ianuarij, alter per maiorem Consiliariorum
partem, datis suffragijs, in demortui locum sufficeretur. † Statutum fuit ut

Verum

Verum ne parvo in numero, aliquando consanguinitatis vinculum rectum regendi ordinem interverteret, sancitum fuit, ne duo ex eadem familia fratres utroque vivo, inter Decuriones conscriberentur. His ita statutis, mœnia perficere fovenisque Oppidum circumvallare cœperunt, omnibus Carneæ populis, Jubente Patriarcha, opem ferentibus; alteramque Turrim in monte Oppido superposito, erigere decreverunt, cunctis, quæ ad opus perficiendum necessaria forent comparatis. Eodem fere tempore Guidonis S. Galli Abbatis litteræ Tulmetinis perferuntur, quibus Ventionensium pedites populabundos eius iurisdictionem ingressos, arcemque ipsam et Abbatiam obsessum, significabat. Austriacis tunc Ducibus parebant Ventionenses, ex quo Tulmetini, Amici Abbatis periculum non negligendum arbitrati, ac potissimum quod intima Patriarchæ familiaritate addictum non ignorarent, collecto non spernendo peditum numero, nulla mora in Abbatis subsidium movent, quorum cognito adventu, Ventionenses relictis nocturno tempore castris, re infecta Ventionum revertuntur. Nicolao vero, anno Salutis 1358 in Civitate Bellunensi à Patriarchatu ad meliorem vitam translato, Ludovicus Turrianus substituitur, cuius Principatus initio, cum equites octiganti, qui Rodulphum Austriæ Ducem sequebant, Forumiulij repentino impetu invasissent, prope Cassacum castrametati sunt, quos statim Dux ipse una cum Goritiæ Comite, ac tribus equitum millibus

subsequutus est, uindicaturus, per Glemonenses, et Prampergi=
os damna Ventionensibus, Germanisque mercatoribus illata, ex
quo in Patriarchatu bellum initium habuit. Verum dum à
Duce et Goritiæ Comite Utinum obsidetur, sic petenti Ludoui=
co, pax concessa est, addita lege ut cum duobus ex Patria ui=
ris ad Carolum Cæsarem proficisceretur, quem controuersiarum
omnium Arbitrum delegerant, quo migrati orta suspicione Ro=
dulphum de Legatorum nece concilium cepisse, re infecta do=
mum reuersi sunt. Interim Ludouicus, cum Annos septem Patriæ
præfuisset, mortem oppetijt, suffecto in eius Locum Marquar=
do. Hic Carolo Cæsari intima familiaritate coniunctus, mul=
tis, magnisque benefitijs ab eodem auctus est, dumque tanti
Principis amicitia fretus, de bello ultro Venetis inferendo consiliu
capit, anno 1381 è uita migrauit. Ecclesiæ exinde præficitur a capite
Philippus Alanconius Cardinalis, illiusque regendæ cura sub Com=
mendatarij nomine comissa est. cuius rei indignitatem ægrè
ferentes plures Castellanæ factionis illustres Viri, et Utinenses,
illum ad Patriarchatus administrationem haudquaquam admit=
tere statuerunt. Cum uero Alanconius adiunctis sibi Francisci
Carrarij Principis inhumanissimi, et caninæ faciei peruitissimi
hominis, auxiliaribus copijs, quod lubentibus Forojulianensibus
obtinere non possit, id ui, atque armis assequi cuperet, com=
muni omnium consilio, bellum gerendum censuerunt. Missi
igitur quam primum sunt ad Tulmetinos, Bitores, uidali=

cet

iet à Simone milite de Collorato, Doimo de Castello aliisque sociis, Henricus Colloretanus, ab Vtinensibus uero Iacobus de Montegnaco eorum Ciuis, qui Tulmetinis decurionibus rei indignitate, imminentique uniuersæ Prouinciæ periculo, ob tanti exercitus potentiam, exposito, suadebant ut prompto secum animo ad Patriæ defensionem conspirarent utue secum duos idoneos uiros Vtinum uenturos imperarent ubi simul quid pro communi salute agendum esset decernerentur. Tulmetini, nullam interponendam moram arbitrati, Leonardum à Prioribus et Nicolaum Leopoldum conciues, ad hoc electos Vtinum miserunt data facultate, quodcumque sibi uideretur optimum cum socijs eorum nomine sanciendi. Illuc cum Oppidani Castellanique conuenissent ut communi consilio de Foroiuliensium libertate consuleretur in eam deuenere sententiam, ne quis ultimum periculum publicæ salutis causa respueret, et à Veneto Senatu, quem ad Patriæ quietem conseruandam propensum semper experti fuerant, opem implorarent. Non indigni, uero mihi esse uidentur ij, quorum opera et Consilio ingens tunc Foroiuliensis Prouincia dedecus, et detrimentum euitauit ut eorum nomina ad futurorum memoriam recenseam: et sunt Ciuitates Vtini, Tergesti, Tulmetij, Glemonæ, Ventioni, Marani, S. Viti, Montisfalconis, Portusgruarij, Fagan̄eæ et Maturæ: ex Feudatarijs uero Strasoldi, Colloreti, Ragonei, Saluaroli, Valuasonij, Partistanei, Sbroiauachæ, Capo- a capite

riaci, Trisani, Frattinę, Prodoloni, Maltij, Muratij, Persij, Pramperġij, Fontaboni, et Porpetani. Ab his itaque deliguntur Federicus Sauorgnanus Eques, Joannes Colloretus, Dormus Castellius, Blasius Lisonius, Dietalmus Andriota, et Nicolaus Marinus, quibus huiusce belli cura demandata † collecto Foroiuliensium exercitu, iunctisque auxiliaribus copijs, quas Antonius Venerius Venetorum Princeps in Patrię periculo liberaliter concesserat Ducibus Petro Maurocenо, Francisco Zeno, et Jacobo Pradonico, castrametati sunt. Carrario namque, qui in Patriam cum ualido exercitu iam irruptionem fecerat, multaque Oppida, et Castra uel expugnauerat, uel per deditionem receperat, nec pauca immania, impiaque facinora addiderat, ut ne à sacris quidem locis sacrilegas contineret manus, furenti omniaque diripienti occurrerunt, collatisque signis prope Sauornianum, cum aliquandiu anceps pugna uideretur, demum cesis omnibus ferè hostium copijs, Foroiulienses memorabili uictoria potiti sunt, ex qua statim pax orta est, Alanconiusque cum extremum uitę diem clausisset, Romę in Ede Diuę Marię Transtiberinę conditus est. Joannes Morauię Ducis Filius Alanconio sufectus est, quem ubi Utinenses Patriarcham creatum esse cognouerunt, Oratores ad eum Joannem Bartoldum, et Christoforum Marcum in Morauiam usque gratulatum de noua dignitate mittunt, qui quidem à Patriarcha perhumaniter

† est. Hi,

ac magni=

ac magnificè excepti, ingentes Tulmetini Oppidi augendi
ac nobilitandi pollicitationes retulerunt quas, ut Principem de-
cet, simul ac Forum Julij ingressus Patriarchatum adijt,
ad unguem praestitit. Oppidum namque et Communitatem
Tulmetij non vulgari dignitate decorare volens eam caput
matricem ac dominatricem Provinciae Carneae universae edi-
xit; Ultra vetera ipsius Comunitatis insignia (Turris nempe
et Aquila portae insidens) concessit Crucem albam intra Caeles-
tem campum rubeo circumductum limbo, quibus et pro
vexillo, Sigilloque uti posset. Conciliatricem praeterea totius Po-
puli consensus quotiescumque dissensio evenerit, delegit: Suf-
fragia inter caeteras Comunitates attribuit: Merum ac mixtum
Imperium (ut Publico visitur diplomate) cum omnimoda
potestate gladij tradidit, statuitque ut Praefectus et Consili-
um Tulmetij vel atrocibus casibus in quoscumque, nullo
excepto, summam vitae necisque haberent potestatem ac ut
innocentes absolvere, sontesque iustis plectere poenis, liberè ac
sine provocatione possent. Addidit insuper, ne quis aude-
ret quemcumque Comunitatis subditum in ius vocare coram
alio Magistratu, quam Iudicibus Tulmetij, salva tamen ad
Patriarchalem sedem, eiusque Vicarium Generalem, appellatio-
ne. Eidem quoque Comunitati largitus est facultatem intra
Oppidum recipiendi et ab omni prorsus iniuria tutandi exu-
les cuiusvis criminis reos, exceptis tamen casibus in Urbe
Aquileia comissis, Haereseos, Perduellionis, Incendij, Sacrilegij

Parricidij, Veneficij, et aperti Latrocinij. Nundinas quoque iam intermissas, et quæ septimo quoque die celebrabantur, ad ueterem consuetudinem reuocauit, dempta uectigalium pensione dummodo res empta ex Carnea non abducerentur. multaque alia preclara gesta in Comunitatem exercuit, quæ breuitatis causa omittuntur. Sunt, qui Joannem istum necis Federici Sauorniani, in sacello eius domui proximo, peractis maxe sacris interrupti conscium fuisse asserunt, sed quantum aberrare, et id eo inscio, et absente perpetratum fuisse, Utinensium litteræ Tulmetinis reddita argumento sunt, in his uerbis. Honorabiles, et circumspecti Viri, et Amici et tamquam Fratres carissimi. Enormemexcessum pridie in Personam strenui militis ol. D. Federici Sauorniani perpetratum, qui proditorio modo et contra omnem humanitatem in Templo, idest in Capella prope domum suæ habitationis, completa missa, interemptus fuit uobis tamquam sincerissimis fratribus quos pro constanti tenemus, de nostra amaritudine condolere cordibus angustiatis, significamus, uestram amicitiam affectuose, et instanter precantes quatenus huiusmodi casus enormissimus sibi debeat displicere, statumque huius Terræ ad honorem Rmi Dni nri Patriarchæ, Sanctæque Aquileiensis Ecclesiæ, et totius Patriæ habere strictius recommendatum, pro ut de uestra sinceritate plenè confidimus, rogantesque uos instantissimè ut prædictum Dominum Patriarcham supplicare uelitis, quatenus pro honore suo.

De

de homicidis et proditoribus qui praedictum Dominum Federicum occiderunt, dignetur Justitiam reddere debitam et condignam, pro bono statu comuni totius Patriae, ad hoc ut in ipso[+] nunquam hujusmodi casus perpetrentur. Datum Utini die 17 Feb.[a] in inditione. Antonius Capitaneus, Consilium, et Comune Utini cum fraterna dilectione. Ultimum praeterea Judicium, quo fuit Elisabeth eiusdem Federici Uxor cum duobus civibus Utinensibus illius sceleris consciis, affecta, ipsum Patriarcham penitus nullius culpae affinem fuisse ostendit. Is tamen, cum nimis adversae factioni indulgere videretur, Tristani Savorniani Federici filii opera dum solus in Castro Utini deambularet, civium cruentus occiditur, cuius quidem interitus non aliunde duxit originem, quam ex dissensionibus quae prorsus semper fuere antiquae pluribus, et populis majori exitio, quam bella externa, quam fames et pestis, aut si quae his maiora aut graviora mala solent accidere.

Joanni successit Antonius Caietanus, ex illustri Familia ortus. Hic inspectis superiorum Patriarcharum concessis Tulmetinae Comunitati privilegiis, non solum in omnibus comprobavit verum etiam, quia municipali lege in controversiis de finibus et mulierum iuribus actori optio dabatur, utrum mallet, sive primarium Judicem sive Generalem Forijulij Vicarium adire; decrevit ac singulari quodam privilegio sanxit, ne cui Tulmetino Carneolae, unquam, ne in his quidem quos supra diximus casibus, liceat coram alio Judice agere quam coram Judicibus

Tulmetij, eaque in Tulmetinos beneuolentia fuit ut cum Neapolim ut non nulla negotia tractandi et balneorum remedio ad pedum dolores utendi gratia concessisset, eos de statu et ualetudine sua humanissime certiores facere, ac illis Patriæ tutelam comendare minime dubitauerit. Id uero ut plenius ex iis, quas Tulmetinis misit litteris cognoscatur, uisum fuit earumdem exemplum hic apponere, quod est huiusmodi. Nobiles et Fideles dilecti Nri. Ut Fidelibus nostris gressus nostri patefiant, significamus uobis, quod peruenimus in partes Regni feliciter, ubi ab omnibus Magnificis Dominis Consanguineis, et alijs amicis nostris cordialiter, amiceque recepti fuimus, et consideratis Maris, et Terræ turbinibus, Iesu Christi gratia, satis sospites, et fortes sumus. Fuimus quoque cum Ser.mo Domino nostro Rege, qui postquam nos grate, humaniterque suscepit ita ut uerbis calamoque explicare nequeam, iussit nos, ad Ill.mas Dominas nostras, Dominam Reginam et Ioannam, Salernum accedere, ubi sunt, pro expediendis negotijs D. Ioannæ prædictæ, et sic faciemus, putantes negotium illud cito, et feliciter expedire sed prius balneis potituri sumus, quibus peractis, statim Deo fauente, cum integra sanitate in Patriam uestram Tonsulij reuertemur. Vos ualete feliciter, et estote solliciti ac prompti ad Patriæ deffensionem si quid acciderit, pro ut

da uas=

de uestra fidelitate et constantia confidimus. Data in Terra nra Pedemontis 2. maij 1401.

Eodem anno Florentini qui à Galeatio Mediolanensium duce graui bello premebantur, Rubertum Bauariæ ducem, nuper Venceslao Boemo abrogato, ad Imperium adductum sibi subsidio in Italiam accersiuere, eique, cum primum ad Benacum lacum peruenisset, magnam se pecuniæ uim numeraturos pacti sunt, quam conditionē Rubertus non inuitus accepit. Dum igitur Rex esset in itinere ac per superiores Alpes copiarum partem ducere constituisset, audissetque Tulmatinos, metuentes, ne ad eorum damna exercitus ille descenderet, Montem Crucis, cæterasque Carnicæ Alpes, qua in eorum Prouinciam iter patet, ualido millitum præsidio munijsse, præmisso Tabellario, per litteras à Tulmatinis, ut iter per Carnicam Prouinciam exercitui suo sine ullo malefitio transituro paterent, enixè precatur, quas ad fidem faciendam hic quoque inserere uoluimus. Rubertus Dei gratia Romi. Rex semper Augustus. Honorandi dilecti. Quia nonnulli de gentibus nostris adhuc retrò existentibus, sequi nos cupientes, iter suum per Terram, et dominium uestrum, arripere decreuerint, quos circa uos rogamus, et attente desideramus, quatenus præfatas gentes nostras per Terras et dominium uestrum equitare permittatis, eisdem etiā uictualia, et sumptus apud uos pro pecunia ordinando; in quo nobis complacentiam singularem ostendetis, scituri et nos cum prædictis nostris gentibus ordinata [illegible] terras, et dominium uestrum absque aliquo notabili damno pertransituros. Datum

Reicheldorf in die Beati Martini Episcopi, anno domini 1402 Regni vero nostri 2º. Tulmetini, his acceptis litteris, stultum esse arbitrati, tanti exercitus impetum viresque in se temerè convertere, data, acceptaque similiter fide, Regias copias per suam Provinciam, extra Oppidi mœnia admisere, quæ quidem ubique comiter, ac liberaliter habitæ, nemine læso, captum ad Rubertum iter tenuere. Rubertus tandem ad Benacum Lacum cum Galeatij copijs congressus, fractusque, Tridentum primo, mox in Germaniam se recepit, et Caietanus, parvo interiecto tempore, cum annos septem, menses duos Ecclesiæ Præfuisset, non sine maximo universæ Provinciæ mærore è vita Discessit.

Defuncto Caitano, dum Ecclesia æstuaret, eo quod Angelus Corrarius Venetus Gregorius 12: ac Benedictus 13: de Pontificatu disceptabant, Antonius Pansarinus Cumaviensis, à Benedicto ad Patriarchatum deligitur, quem paulo post Gregorius dignitate spoliavit, sed assumptum semel Principatum deponere renuens, armis illum tueri totis viribus conabatur, Cumavienses enim pluraque alia Oppida, multique Feudatarij eius partibus adhærebant. Hinc grave publicum intestinumque bellum initium habuit. Namque Civitatenses, Glemonenses, Tulmetini, et Ventionenses, eundem Antonium in Antistitem recognoscere noluerunt, cumque sibi bellum cum eo gerendum esse non ignorarent, Oppida ipsa tam contra eundem Antonium, quam alios quoscumque pro patriæ conservatione, usque ad novi Patriarchæ electionem legitime faciendam, defendere statuerunt. Ut vero communis Foriiulium defensio firma haberetur, generale inter eos fœdus, solemni omnium iuramento vallatum, inierunt, cui paulo post Nicolussius Comes Pratensis, Asvertinus eius filius, Varmasonij, Spilimbergij, et Oppidani S. Viti devincti sunt. Qua intellecta re, Antonius non modicum equestrium et pedestrium militum numerum sibi comparavit, ex quo metuentes Prata comites, et Oppidani S. Viti, ne ad eorum damna exercitus ille se conferret, frumentaque tunc in agris existentia destrueret (messes enim appropinquabant), à

Tulmatinis, ceterisque superioribus Oppidis, iure foederis colli=
gatis subsidiarios milites miserunt, ut ne dum hostium impetum
propulsare, sed ultro etiam eisdem damna inferre non dubitarent.
Nec multo interiecto tempore utriusque bene gerendae rei occasio
oblata est. Cum enim Antonii equites, peditesque Pratensem Co=
mitatum praedabundi inuasissent, Pagos Coruae, et Azani incau=
tos igne immisso destruxerunt; quod cum Nicolussius, et Alber=
tinus ex fumo, clamoreque cognouissent, qui ultra proprios
milites, foederatorum quoque, ut diximus, penes se habebant,
hostes insecuti, eosque praeda onustos prope Custodiam Coruae inuen=
tos uiriliter aggressi sunt, et post pugnam utrimque atrociter
editam, in qua Albertinus inter confertissimos hostes super pon=
tem Natunae fortiter pugnans aliquantulum in ore, nasoque
uulneratus in aquam deiectus est, equi tamen beneficio flu=
men tunc ob imbres pertimescendum euicit, demum An=
tonii milites in fugam uertuntur, et undique a uictoribus
in ripis obtruncantur, alios in aquam compulsos gurgites
hauserunt etiam peritos nandi, alios lassitudo, uulnera et pa=
uor degrauant, ita ut omnes hostium perierint praeter duode=
cim, qui in ipso pugnae initio fuga saluti suae consuluerunt,
et sexaginta, qui captiui remansere. Capti quoque sunt equites
decem, reliqui uero ad uicinas siluas confugiendo, insequen=
tes hostes euaserunt, cuius rei feliciter actae, testes sunt Ni=
colussii, et Albertini litterae Tulmetium conscriptae. Eodem

fere

zere tempore Ispidani S. Viti Nicolussium quemdam Antonij in-
fectum eorum agros incursionibus infestantem pluribus suis mi-
litibus interfectis Portugruarium reuerti coegerunt, bouesque
et eius generis animalia III Oppidum ipsum pascuationis gra-
tia egressis abduxerunt, quæ quidem præda ultra quadringentos
aureos uendita militibus distributa est. Interim Gregorius 12
Antonium Concordiensem ad Patriarchatum assumpsit, cuius
litteras Tulmetinis conscriptas, in quibus huiusmodi eis signi-
ficat electionem et Patriam Forijulij commendat registrandas fore
duxi. Antonius Dei Gratia Patriarcha Aquileiensis. Nobiles et
prudentes uiri, et Amici nostri dilecti. Ad gaudium, et exultationem
uestris presentium serie significamus dilectionibus, quomodo nuper
Sanctissimus in X.to Pater et dominus noster D. Gregorius diuina
Prouidentia Papa 12 in Patriarcham nos elegit Aquileiensem et
licet indignos sua benignitate promouit et ~~creauit~~ creauit. unde
dilectiones ~~nostras~~ uestras, quæ merito e huiusmodi promotione nostra
letari possunt, requirimus et hortamur quatenus in omnibus quæ
honorem nostrum, et Ecclesiæ nostræ Aquileiensis, ac statum paci-
ficum, et tranquillum istius Patriæ nostræ Forijulij concernunt
uos recomitos reddatis fauorabiles et benignos, prout de præcipua
uestra dilectione plane confidimus. Significamus insuper uobis
quod pro bono pacis istius Patriæ, huic excelso dominio Veneto
placuit, quod hic sedeamus, quia ipsum Dominium ad tractan-
dum de ipsius Patriæ pace, et concordia, misit nobilem suum

Oratorum ad Patriam ipsam, quem ac statum, et honorem nostrum nobis precipuè comendamus. Datum Venetijs sub nostro annulari sigillo quo alias ut Episcopus Concordiensis utebamur, die 15 martij 1409. His tamen non obstantibus ceptum in Patria bellum non destitit; ob schisma enim inter Pontifices exortum Concordiensis Episcopi electio uti et et Tergestensis illegitima quam plurimis videbatur, quam ob rem cum idem sibi Patriarchatus possessionem consequi difficillimum fore animadverterit, Romam se contulit, ibique sine Patriarchatu defunctus est. Novi itaque Antistitis legitimam electionem procurandam censuerunt Foederati securi; quapropter singulos quilibet ipsorum Oratores ad Romanum Pontificem transmiserunt rogatum ut gratus ipsis Antistes crearetur; plures enim illustres viri eam dignitatem obtinere nitebantur, inter quos Malatesta et Pandulphus Malatestae filius Ariminensis huiusmodi litteras per Oratores suos reddiderunt. Nobiles, et Egregij viri, et amici nostri carissimi. Post debitas condignas et affectuosas salutationes comisimus aliqua nobilitatibus uestris nomine nostro referenda a nobilibus et Egregijs legum doctoribus nobis dilectis et Oratoribus nostris Dino de Rainerijs de Pisauro, et Almerico del Pin de Sacilo harum ostensoribus. Quorum proinde relationibus tamquam nobismetipsis rogamus nobilitates uestras ut eis placeat et uelitis fidem credulam adhibere. Ordinata Pisauri die decima Maij et data Brixiae 23 eiusdem mensis indictione 3.a Summa

Legaz

Legationis haec fuit, ut Tulmetini Pandulphum praedictum in Patriarcham acceptarent, et in hanc sententiam litteras oratori suo apud Pontificem deganti conscriberent, uidebatur enim Pontifex nouum Antistitem de Forojuliensium uoluntate creaturus. His responsum dedere Tulmetini, se de Antistitis creatione una cum caeteris Foederatis comuni consensu antea decreuisse, et oratoribus eam ob causam ad Pontificem missis speciale mandatum unitim tradidisse nec sibi licere aliter nunc decernere, quam quod semel actum fuerat; quod si in praesentiarum res integra ageretur, libenti profecto animo Illustrem illum uirum, quantum in eis esset, in Antistitem commendaturos. Interim Clemonenses et Tulmetini collecto non modico militum numero Fontanambonam ui capiunt, et diripiunt, exinde Buiam Castrum loci natura munitissimum obsederunt, et habitatores Castri Melsi ob harum gentium propinquitatem timentes ne ad sui destructionem se conferrent huiusmodi litteras Tulmetinis à Matteo, Francisco, Conrado, et Thoma Prodolonijs conscriptas attulerunt. Nob. et Eg. Viri Amici nostri Carissimi. Quia nos intelleximus, quod uicini nostri et habitatores Melsi, ac illi, qui se reduxerunt et reducunt ad Castrum praeditum, uidentur magnum habere timorem, ne damnum aliquod accipiant à gentibus uestris, amicitiam uestram rogamus instanter, ut cum semper optauerimus, et optati sumus uestrum bonum et omnem indemnitatem uestram, uobis placeat cum

ipsis gentibus vestris taliter providere quod non offendant in bonis, pariterque in personis habitatores, vel se quomodoli:bet reducentes!! ad dictum Castrum, et Villam Melsi, et si damum de intentione vestra procederet aliquos Colonos Domi:norum de Colloreto offendere, quod non credimus, rogamus ut Coloni illi, et Consortis nostri Antonij de Melso, nullum a vestris militibus recipiant damnum. Providebimus enim et nos viceversa, ne vos et gentes vestra per habitatores il:lius loci in aliquo offendantur. Deus autem bene novit, quod libenter videremus bonum et tranquillum statum Pa:tria nostra. Placeat ergo amicitia vestra rogamusque instan:ter, ut super his vestram responsionem per litteras habea:mus. Datum Prodoloni die 3. 7.bris indict. 3. 1310. Quibus quidam, ita Consilio decernente, rescriptum fuit, quod Tulmer:tini suorum militum Prefectis expressè comiserunt, ut ami:corum suorum, inter quos ipsos Prodolonios connumerabant, bona omnia illesa intactaque forent, nec aliquod eis quoquo modo damnum inferrent, iterumque illud eis mandaturos esse dummodo intra Castra Melsi, inimicos Collegatorum, eorumque res, et complices non suscipiant, nullumque eis auxilium prestent, vel subsidium. Paulo post Buie Castrum capitur, et diripitur, quod una cum Fontanabona Utinenses post gen:tium

tium discessum recepere. Veneti autem Patriæ Forijulij deso-
lationem miserti Jacobum Isolanum et Bartolomæum Manum
Patricios viros Oratores in Forum Julij misere, quorum opera
in Oppido S. Danielis inter Delegatos utriusque partis circa fi-
nem mensis septembris 1410 initæ fuerunt treguæ usque ad
totum futurum mensem Martii 1411 pro quarum observatio-
ne ijdem Veneti Oratores Tulmetinis, Venzonensibus, et Glemo-
nensibus huiusmodi litteras dedere. Magnifici et Eg.i Fratres
Hon.di licet iam ante in practicis et sermonibus vobiscum,
et cum tota parte vestra habitis, diffuse satis affectionem quam
Sanctissimus D. noster Pater Papa et Ill.mo Ducale Dominium Venetum
ad bonum, et quietem huius Patriæ habent, et eorum intentio-
nem vestris benevolentijs expresserimus; tamen ut iterum vos
certiores reddamus data per nos notitia iam dicto Sanmo Ponti-
fici, et Ducali Dominio de induciarum conclusione, modo inter cæte-
ra responsionem accepimus et mandatum quod ante nostrum
discessum vobis et alijs Comunitatibus et Nobilibus Patriæ
utriusque partis dicere et scribere debeamus, quod conclusio-
nem induciarum et vestram optimam dispositionem gratis-
simam habuerunt, et illam laudant, et commendant, vos
instanter hortantes, quod ad conservationem induciarum
totis viribus intenti sitis, et insuper quod quam citius
fieri possit partes mittant iterum suos Oratores ad ipsum

Summum Pontificem mittere pro huius Negotij confirma=
tione. Verum quum stricta observantia induciarum sit utilis uo=
bis et universae Patriae ac eius quieti; tamen quia bellum et
desolatio Patriae d.° Sumo Pontifici cordialiter displicet et non mi=
nus Ducali Dominio praelibato et quia turbatio et fractio induciarum
cedit in non modicum damnum Civitatis Venetiarum; perseue=
rantes in eo quod saepe dictum fuerat denuo declarant quod si
induciae observabuntur dicto Sumo Pontifici et Ducali Dominio sum=
mopere placebit et habebunt exinde efficaciorem causam
habendi honorem et commoda uestra cordibus suis infixa.
Ea propter eorum nomine pro universali Patriae bono uobis
instanter suadamus atque rogamus ut uelitis efficere quod in=
duciae inditae observentur, et quod uiae apertae sint, et secu=
rae, nec non ut uestros Oratores cito pro celeriori rerum con=
clusione ad Curiam transmittatis, ad quae omnia uos etiam
quantum possumus nomine nostro inducimus et rogamus.
Similes litteras etiam Comunitati Civitatensi et Nobilissimis
ultra Tulmentum scripsimus; Huic Comunitati Utini hoc
efficaciter diximus et alijs suis Collegatis similiter nota feci=
mus ut ambae partes sint de his intentionibus admonitae.
Valete Utini die 4 9bris 1419.

Exacto induciarum tempore, cum utriusque partis Oratores
ad Sum-

Ad Sumum Pontificem missi, non dum rem sibi comissam ad
exitum reduxissent eademque uigerent ciuilium discordia-
rum causa, illico bellum subsecutum est; tunc Ciuitas Aus-
triæ, Glemona, Tulmetium et Ventionum, omnibus eorum
copiis Carolum Pium, publico statuto stipendio, reficere. Utinen-
ses vero, cum Bernardus Rabenstanus Eques et Præfectus militum
Hernesti et Federici Austriæ ducum, armata manu Forum-
Julij introisset, se eidem suaque omnia cedere, paruoque
interiecto tempore, Federicus Ortemburgius Comes à Sigis-
mundo Imperatore in Patriarchatu Aquileiensi Vicarius cons-
titutus, eodem se contulit, ipsumque Ciuitatenses, Tulmetini,
Ventionenses et Glemonenses, tanquam Patriarchalem Vica-
rium non ante recepere, quam solemni iureiurando pollici-
tus sit, illico, secuta legitima Antistitis creatione, omnia ad
Patriarchatum pertinentia ipso Antistiti libere et absque
contentione renunciare. Interim Utinenses proprijs uiribus a capite
et Austriæ ducum præsidio freti, ciuitatensium fines assidue
infestabant; quapropter Tulmetini quingentos ad eos uetus-
to foedere milites, iussenunt proficisci, itidemque pro uirili
cætera oppida fecerunt, cumque secunda Iunij die eiusdem anni
gentes Ciuitatensium et Collegatorum suorum sub Georgio

Ortemburgij Comite, et Carolo Pio Federatarum Comunitatum militum præfectis, Morteano Pago ui capto, et direpto, Ciuitatem Austriæ uersus proficiscerentur, magnum Utinensium Equitum, et peditum numerum obuiam habuerunt, quibus inerant Franciscus Manzatonus. Confestim hinc inde conclamatum, et pugnæ initium factum est. Diu inter ipsos anceps certamen stetisse dicitur, ut neque clamor, primo sublatus, iteratus sit, neque signa permota loco, retroue recepta, neque recursum ab ulla parte sit, sed in suo gradu obnixi milites sine respiratione pugnabant. Fremitus æqualis, terrorque idem pugnæ quam in defatigationem ultimam, aut noctem spectabant. Iam uis uiris, iam ferro acies deesse uidebatur, cum Franciscus Manzatonus Utinensium Præfectus, dum strenui ducis militisque offitio fungitur, ingenti uulnere afficitur, et equo labitur; quo repentino casu, conterriti milites, eum obiisse existimantes, clamoreque a Federatis renouato, mouentur gradu, deinde repelluntur, postremo uero in fugam coniiciuntur. Magna eorum pars cæsa; capti Utinensium Equites decem et octo una cum Manzatono; pedites uero ultra quinquaginta; præda etiam non modica, præter suas recuperatas res, et uictoria potiti sunt. Vigesima postea eiusdem mensis die, Marcus Venerius, Veneti Principis Orator, eiusdem

litteras

litteras Tulmetinis, subscripti attulit tenoris. Michael Steno Dei gratia Dux Venetiarum &c. Nob.es et prudentes amici dilecti. Mittimus ad presentiam uestram in nostrum honorabilem Oratorem Marcum Venerium dilectum ciuem nostrum cui nonnulla comisimus uocis officio uestræ beneuolentiæ referenda, ipsam deprecantes quatenus relationibus eius tamquam a mente nostra uenientibus, libeat credulitatis fidem planissimam adhibere. Dat. in nro Ducali Palatio die 9 Iunij ind.e 4. 1411 Is a Tulmatinis liberaliter acceptus, cum Reipublicæ Venetæ in Vniuersam Patriam optimè dispositam mentem exposuisset, pluribus rationibus eis suadere conatus est ut arma inter ipsosmet Foroiulienses assumpta deponerentur, et inducijs iterum factis, pacis et unionis uia aliqua, comuni omnium consensu perquireretur, Patriæ desolationem et tot ab omnibus passa incomoda commemorando. Tulmatini eas, quas potuerunt maiores inclito Principi, Sapientissimoque Senatui Veneto, gratias se habere dixerunt, qui toties huius miserandæ Patriæ cladium misertus, immissum in eius uiscera incendium extinguere conatus sit, seque illius Principis causa ad omnia paratos et dispositos obtulerunt, quæ eius Patriæ quieti proficua fore uiderentur, dum Fœderatorum suorum eadem sit mens et dispositio, a quibus nulla præcedente causa discedere, sibi inconuenium et damnosum fore non ignorabant. Venerius optimam illius consilij mentem laudauit, et ad cæteros eorum Fœderatos eadem expositurus pergere dixit, et hortatus ut in proposito perseuerarent, ad reliquas

se contulit Civitates. Verum cum res ob diversas ab utraque parte propositas difficultates in dies protraheretur, denuo Venerius tribus Superioribus Comunitatibus Tulmetij, Ventioni, et Glemonæ huiusmodi litteras conscripsit. Mag.ci et Ge.ri Doni. Sicut scire debetis, fluxerunt iam octo dies, quibus veni ad hanc Terram Civitatis Austriæ cum certo mandato Ill.mi Duc. mei Domini Veneti, universalem statum et comodum totius Patriæ concernente, expositaque intentione præfati Duc. Dom. huic Comunitati, responderunt, quod sine vestro consensu et deliberatione ad ea, quæ sibi exposueram, decernere vel conclusivè respondere non poterant, et propterea illico dictam meam expositionem vobis significare decreverunt, affirmantes mihi, quod sine dubio per totam diem Sabbati proximè præteriti, habuissent intentionem et responsionem vestram, et sub ista spe, et verbis usque nunc me tenuerunt, excusantes se, et inculpantes vos, et vestras Comunitates, quia non suo, sed vestro deffectu procedit ista dilatio, ulteriusque dicentes, quod per eos non defficiet, quin sequatur tranquillitas Patriæ, et quod si intervenerit consensus et deliberatio vestra in bonum res bene succedent, et quod vota præfati mei Duc. Dom. quæ tamen ad nihil aliud, quam ad conservationem libertatis Patriæ et Ecclesiæ Aquileiensis aspirant, optatum sortirentur effectum, ad quam intentionem etiam ipsi inclinassent, si

Vestræ

uestræ Comunitates similiter uoluissent. Quamobrem tam de nova prædicta, quam etiam de tali intentione uestra, si sic est, quod tamen difficillime credere possem etiam si uiderem, admira= tionem assumo, considerans quam læto animo, qua uoluntate, me istis in partibus existente ad pacem et inducias, sublatis illis causis quas scitis, inclinare et assentire uidebamini: Considerans etiam quod pax et tranquillitas Patriæ magis uobis refert quam cæteris, maxime ratio= ne mercaturæ cui uos potissimum dediti estis, sine qua exerceri non potest, attentisque non minus precibus et interpositione Ducalis Dominij præfati, cuius uoluntati maxime cum comodum, utilita= tem, et honorem uestrum attingat, merito conformari debetis. Scitis enim quam dulciter et fauorabiliter in Ciuitate Venetiarum uideamini, et quibus prærogatiuis gaudeatis, et qualem fidem ante= dictum Dom. meum uobis gessit in negotijs istis, et alijs occur= rentibus. Multæ quidem possent rationes adduci, quibus aliter cre= dere non possem, quam quod intentionem firmam et solidam habea= tis ad pacem et quietem huius Patriæ, cuius uos estis pars non exigua, licet aliqui aliter mihi demonstrare conentur. Et propter= rea uestras magnificentias efficaciter hortor, et rogo, ut sicut de uoluntate supradicti Dom. mei, ut dicunt, uos certiores reddiderunt, et prædic= ta omnia utiliter ponderetis, et uos taliter geratis, quod pax, siue induciæ et tranquillitas Patriæ ex uobis processisse noscatur, quodque uobis oppositum obijci non possit, nec super humeris

uestris noc onus imponi sicut multi facere quaerunt. Placeat igitur uobis subito aliquid mihi rescribere, et quaenam sit uoluntas uestra, me comonefacere. Dat. in Ciuitate Austriae die 28 Julij 1411 Demum eiusdem Venerij opera induciae inter Comunitates praedictas, ac Utinenses, et utriusque partis Foederatos ad tres futuros menses subsecuntur, ut interim sublatis hinc inde offensionibus, pax inoucaretur. Sed iam altius, quam caeteri existimabant, belli cupiditas hominum animis insederat. Sigismundus enim Imperator, et Pannoniae Rex, cum se Patriarchalis dignitatis defensorem profiteretur, Ortemburgio Comite id per litteras postulante, magnam Equitum copiam praeparauerat, quam sub Philippi Florentini Themespurgensis Comitis auspicijs in Patriam mittere decreuerat, ad quam mox ipse cum ualido exercitu uenturus erat. Interim uero Tulmetinis à Guielmo Comite eiusdem Imperatoris Oratore, huiuscemodi litterae redditae sunt. Sigismundus Dei Gratia Romanorum Rex semper Augustus, Ungariae Rex &c. Fideles dil. Nri. Ne dum ad nostri notitiam, sed ad partes orbis, euigilans, et laudabilis fama refulget, de constantia inconcussae fidei, quam sacro Romano Imperio, et Sanctae Aquileiensi Ecclesiae, nobilique Federico Comiti in Ortemburgo in Patria, et dominio Forojulij Vicario per nos constituto, inuicto animo et mentis robore ostenditis. Nam quid pretiosius fide, quidue in inceptis perseuerantia, quae ex claris, Viros reddit clarissimos? Nil

profec-

profecto sanctius, ex quibus, et multis alijs in nos concurrentibus
virtutum meritis quantum vos iudicemus comendabiles, quam=
tumque nos exhiberemus ad grates, longum praesentibus enarrare.
Cumque non qui inceperit sed qui perseveraverit hic comendabi=
lis est et dignus; propterea fidelitates vestras hortamur, qua=
tenus velitis, ad conservandam famae vestrae integritatem, in con=
stantia erga Sanctam Ecclesiam Aquilejensem et praedictum Fede=
ricum eiusdem Vicarium Generalem exhibitae et probatae fidei
persistere et ad rebellium subiectionem nobis dictaeque Ecclesiae
et eius Vicario Generali vestras vires adiungere, quod a vestro
(iam scimus) mentis affectu et firmo proposito non ambigimus
darandare: et sicut hucusque fuistis laudabiles fidelitatis et
constantiae actores, studeatis usque ad felicem creationem et pro=
motionem Patriarchae (per Ssmum in Xto Patrem et D.D. Joan=
nem Sanctae Romanae et Universalis Ecclesiae summum Ponti=
ficem Dom. Nrum Rum ex nostra voluntate et dispositione de per=
sona utili et circumspecta faciendam) sic deinceps in fidelitate de=
bita et laudabili perseverantia persistere: prout spes et fiducia nos=
tra tenet quod initio acceptior finis respondeat, vosque per
sequens capaces effici mereamini nostrae Regiae gratitudinis et
amplioris dilectionis. Dat. in Temesvar die 24. Junij Regnorum
nostrorum anno Ungariae etc 23. Romanorum vero p.o His re= t cañite
bus ita se habentibus, Burcardo Rabenstano pro Austriacis du=

cibus et Utinensibus id procurante, iterum usque ad vigesimum diem Novembris inter prædictas partes induciæ factæ sunt. Pa=
ietanus vero substituto Joanne Mengem Canonico Prisceliren=
se, pro Utini locumtenente, ad Austriæ Principes secessit. Cumque induciarum finis instaret, Utinensis Locumtenens prædictus, per litteras Tulmetinis, Ventionensibus, et Clemonensibus dedita opera exaratas, treguarum prorogationem postulavit, prout ex litteris patet, quas hic non abs re apponendas fore duxi. Ex his enim, Venetorumque etiam Oratorum litteris clare patet et colligitur, Civitatem Austriæ, Clemonam, Ventionum, et Tulme=
tium, licet Ortemburgium Comitem tamquam Patriarchalem Vicarium acceptaverint, numquam tamen sui iuris esse de=
stitisse, prout ante illius adventum ipsa Oppida fuisse demon=
stravi, semperque easdem Comunitates, ea quæ tam ad pacem quam ad bellum pertinere arbitrabantur, tamquam liberas no=
mine proprio tractasse usque ad Patriarchæ creationem, non autem ad ipsius Ortemburgii nutum, prout alia Oppida fa=
cere. a capite Litteræ autem sunt huiusmodi. Hon.di et Mag.ci Viri. Memo=
res vos esse non dubito, qualiter in negotio induciarum per Nob. et Eg.m Militem D. Burcardum de Rabestain inter partes huius Patriæ ad viginti dies factarum, prædicto Domi=
no Burcardo propositum fuerat, quod esset spes prorogationis

ad tem=

ad tempora induciarum earundem longiora. Cum igitur terminus induciarum præsentium approximquat, et prædictus D. Burcardus hic me constituerit locum suum tenentem quoadusque reuertatur ab Ill.mis D.D. Ducibus Austriæ gratiosissimis Dominis meis, quibus ibat locuturus de modo ratificandi, et ponendi Patriam in statu tranquilliori, et sibi quoque hodie scripserim, petens ab eo melius informari, nequeo tamen in tam breui spatio propter loci distantiam super huiuscemodi contractu responsum habere; Quare supplico Mag.as V.V.as instantia qua possum, quatenus super prorogationem induciarum prædictarum litteris uestris per latorem præsentium me certiorem facere dignemini, ne forte finitis inducijs præsentibus, per partes hinc inde quid incommodi inferatur, cuius rei uera auctor esse non cupio. Pacis etenim et tranquillitatis diligens executor esse mallem, quam belli et discordiæ seminator. Dat. Vtini in Castro Patriarchali 12 Nov. anno Dni 1411.

Sed Philippi Florentini, Sigismundi Imperatoris Præfecti, ad Patriæ fines aduentus cum duodecim Boemorum et Vngarorum Equitum millibus, omnem pacis abstulit mentionem, ad quam Ciuitatenses superioraque Oppida, quamprimum Forumjulij ingressus est, auxiliaria militum subsidia omnisque generis tormenta bellica ad Oppidorum expugnationem pertinentia transmisere.
Is, accepta auxiliaria manu, Vtinum obsedit, omnemque adhibuit

diligentiam, ut dempta ciuibus quacumque subsidij spe per dedi=
ditionem res ad exitum perduceretur. Nec sententia fefellit, Vti=
nenses enim cum per dies aliquot Rabestani aduentum, Austriaco=
rumque Principum auxiliarias copias frustra expectassent, Phi=
lippo Comiti eos Sigismundi Imperatoris, et Aquileiensis Ecclesiæ
nomine acceptanti, se, suaque omnia dedidere. Sed Tristanus (hic videntur deesse aliqua)
Sauorgnanus, pluresque eiusdem factionis Ciues, ad primam dedi=
tionis mentionem, ad Venetos, quorum semper partibus studuerant,
aufugerunt, quorum bonis à Philippo publicatis, Sauorgnanum
ui captum delari iussit, et ultra Tiliauentum eductis copijs, Por=
tugruarium, Bussoletum, Sacilumque faciliter expugnauit, ce=
tera enim Oppida eius partibus fauebant. Dum vero Austriaci
Duces Vallem Cadubrij aggressi fuissent quibus Tulmatini ami=
citiæ et propinquitatis iure 300 pedites in auxilium miserant,
Philippus expugnata Serauallo, Bellunensem quoque Ciuita=
tem obtinuit, indeque Castrum Botistani deuicit. Veneti inte=
rim ad primum Philippi in Patriam aduentum, tum suo loco=
rum suorum conseruatione, tum etiam Tristani Sauorgnani
precibus, collecto sex equitum octoque peditum millium exer=
citu, Carolo Malatesta Præfecto, ut Vngarorum insolentiam re=
primerent, ad Patriæ fines se contulere, et Cordignanum ui
summa aggressi, expugnarunt, cumque plurimis ultra Tilia=
uentum illatis damnis, Dignanum usque peruenissent, ibi

à specu=

a speculatoribus cognouere, Philippum, audito eorum aduentu, Cadubrio obsidione liberato, magnis itineribus in Patriam rediisse. Quare ne in media hostium regione, cum Philippi exercitu decertare cogerentur, iterum trans Tiliauentum se receperunt, cumque in Utinensem Comitatum peruenissent, Vngarorum, Boemorumque exercitum non longe adesse nunciatum est. Carolus igitur ingentis Vir animi, cum sine magno impedimento prosequi non possit, et neque eundi neque standi sine discrimine modum esse uideret, instruit aciem, impedimentis ex ea remotis. Instruuntur contra et hostes, animis, et uiribus pares, ut dextrum cornu Vngari, sinistrum Boemi, medium uero locum Foroiulienses copiæ tenerent. Vngari, tot elati Victorijs, incredibili impetu hostes aggrediuntur, multisque cæsis in fugam conijciunt: dumque eos undique premunt, et, longius aliquantulum abducti, Venetorum impedimenta procul ab armatis sine præsidio sine munimento stare conspiciunt, auiditate prædæ capti, eo impetum faciunt. Interim Malatestæ, qui in dextero sui exercitus cornu Boemorum Equitum instantium uim fortiter sustinebat, trepidus Nuncius aliorum militum fugam et impedimentorum attulit direptionem. Is, tantæ rei notitia commotus, accepto electorum militum ualido præsidio, ad aliam exercitus partem se contulit, omniaque timoris plena inuenit. Milites, tanti Viri aduentu illata spe ac reintegrato animo, turmatim ad eum conueniunt: cumque maiorem partem collegisset,

Videtis ne, inquit, hostes præda detentos, et uestris impedimentis hærentes? aggredimini eos, acceptumque dedecus, uirtute delete, certam enim uobis uictoriam polliceor; nec fefellit consilium, nam impetu facto in Vngaros, eos, ut euenit secundis rebus, inuenere uagos, inter prædandum dispersos, raros equis insidentes, et paucos quibus ferrum in manu sit, ut Vngari prius uictores, passim cæsi sint, cum neque coeundi in unum nec arma capiendi spatium daretur. Dissipato Vngarorum equitatu Carolus, circumductis à tergo militibus, Boemorum equites adoritur, et

novo edito clamore nouus factus clamor terret hostium animos et in fugam concussit, adeo ut magna Boemorum et Foroiuliensium pars ab insequentibus sit cæsa, captoque Nicolussio Comite Pratensi pluribusque non ignobilibus uiris, nox prælij cædisque finem fecit. Philippus cum in eo certamine periti ducis militisque officio functus esset, haud territus insperata clade, exercitus reliquias colligere quanta poterat diligentia conabatur. Boemi uero Vngarique Milites desperatis rebus, in cassum precante lachrijmanteque Duce, noctis silentio, castris excessere domum contendentes: quos postea Philippus, positis prius peditum reliquijs tutis in locis, necessitate coactus, subsecutus est. Non ignoro nonnullos esse qui Philippum, a capite auro corruptum, à Patria re infecta recessisse scribunt, eumque postea proditionis huiusce causa, Sigismundi mandato, in eius ore auro liquefacto immisso perijsse. Attamen Ioannis Prata

Comi=

comitis littere Tulmetinis conscripte, predicti certaminis fidem faciunt, Philippumque à Militibus ignauè destitutum, inuitè se in Pannoniam contulisse; sed et Ludouici Tecchj Ducis, qui postea ad Patriarchatum assumptus est, pariter litterę, in quibus Tulmetinis Sigismundi in Patriam aduentum significat, clarè demonstrant eumdem Philippum cum Imperatore iterum ForumIulium petijsse, pro ut et Tulmetini Oratores ad Sigismundum missi affirmant in eorum relationibus, sepedictum Philippum inter vocerres uidisse. Veneti tanta uictoria, licet non incruenta, (otingentti enim et ultra in prima aggressione ex eorum militibus ceciderę, et non pauci uulnerati fuere), ForumIulij magno aggrediuntur impetu, ut omnia timoris plena ubique conspicerentur. Tunc Tulmatini, posito prius ad Clauatij Locum, qua iter in eorum Prouinciam hostibus patebat, ualido militum presidio, Pulcenicum Fontassio Comiti postulanti, quinquaginta, Oppido S. Danielis octuaginta, Ventionensibus octuaginta, Clemonensibus centum quinquaginta, Spilimbergijs sexaginta milites eodem tempore in subsidium misere. Ventionensibus iterum ducentos alios pedites concesserant, quos omnes cessante belli suspitione gratias agendo reddidere, pro ut ex eorum litteris patet. Veneti uero cum citra Tiliauentum, Palazzolum, Muzaram, Sedenanum, et S. Dionium Pagos, Tricanum quoque Castrum ex-

pugnassent, exercitum populabundum, primo in S. Danielis,
mox in Gemonensium fines duxere, captaque et destructa Ar=
tenea, cum omnium circumiacentium locorum fines hosti=
liter peragrassent, ab Oppidorum expugnationibus temperatum
est. Exinde ultra Tiliauentum exercitu ducto, Frattina Castrum
in eo uictoriae cursu recepere. Mottam quoque Oppidum
Liquentiae fluminis insidens, multos per dies obsessum,
et Oppidanorum uirtute, et paulo post Ludo=
uici Blagni Comitis ad custodiam
cum praesidio missi aduen=
tu uiriliter defen=
sum, Damum
illius
Ciues, cum sibi omnem
auxilij spem sublatam
cernerent, eisdem
per pactionem
tradidere.

Liber Quartus

Dum tot belli cladibus universa Forijulij Provincia vexabatur, Ludovicus Dux Teckhius à sumo Pontifice Aquileiensis constituitur Patriarcha, cuius adventu aliqua pacis et quietis spes illuxisse videbatur, nam neque Veneti, licet victores, huiusmodi pacis consilia abiecerant, utpote qui semper huius Provinciæ tum sibi conterminæ quietem procuraverant, ea præsertim ratione ut barbaris nationibus, sublato ex ea bello, in eam se conferendi occasio tolleretur. Antistes vero, convocato generali totius Provinciæ conventu, expositis damnis et iniurijs undequaque illatis à Venetis, acceptum dedecus resarcire, amissaque Oppida recuperare, se decrevisse affirmavit, magna adauctus spe hostium audaciam reprimendi, si omnes unanimiter ad Comunis libertatis defensionem conspiraverint, adiunctis præcipuè validis Sigismundi Cæsaris auxilijs, quæ sibi ab illo tum amoris intuitu tum Comitis Ortemburgij opera, suma affinitate sibi coniuncti, perlibenter promissa fuisse profitebatur. Perspecta Ludovici voluntate, omnis conventus quæcumque auxilia hilari animo pro virili obtulit, et abiecta pacis mentione omnium animi ad bellum inclinare videbantur. Quamobrem Veneti, cognita per exploratores Antistitis voluntate, et quæ adeo ad ipsorum perniciem moliebantur, cum Ernesto et Federico Austriæ Ducibus fœdus inierunt, quo facilius Cæsaris

et Antistitis conatus irritos viderent, prioriquc exercitui, eidem Malatesta Praefecto, multas alias copias adiunxere. Paulo autem post octauam Idus Ianuarij Cadubriensium Legati Tulmetium aduenere nunciantes, Federici Austriae Ducis exercitum conscriptum armatumque in eorum finibus, iuxta Ampetium Pagum consedisse, sibique ingens imminere periculum, quapropter opem ab eis rebus suis afflictis postularunt. Tulmetini haud mora trecentorum triginta peditum subsidium decreuere, quos sub Daniele Missitino, Nicolao Ianiseo et Odorico Deciano Praefectis, primo quoque tempore, iunctis alijs Utinensium, Ciuitatensium, Gemonensium, et Ventionensium auxiliarijs copijs, iusserunt proficisci. hisque omnibus, Antistitis iussu, Daniele de monte, supremo Duce constituto. Cum autem manus a capite ista paulo supra Ampetium essent castrametata, et inimicorum Audacia compressa est, et à quotidianis incursionibus, quas in Cadubrium facere consueuerant destiterunt. Sed parum abfuit, quin post modicum tempus, unius hominis insolentia, Foroiulienses, et Carni, maximum fuerint recepturi detrimentum. Quidam enim Pagronius Pontillius, summae inter Cadubrienses auctoritatis, Vniuersis eorum copijs praeerat, uir quidem ad belli munera obeunda satis impiger, sed mira arrogantia,

inexpe-

inexpletaque avaritia praeditus. Huic quoque Cadubrienses annonae, pro totius exercitus usu, curam demandaverant, et praesertim ut subsidiarijs militibus necessaria faceret importari; sed cum intestino quodam odio Tulmetinos prosequeretur; ne dum eis locum castrametandi incomodissimum tribuit, ita ut suo odio esse viderentur, verum etiam quaestum praecipue in comeatibus procurabat; nec contentus, quod eis rerum omnium induceret necessitatem corruptam etiam ac foedam tantummodo annonam invehebat. Quod cum aliquandiu milites, Ductoresue pertulissent, tandem comoti rem Danieli de Monte detulerunt, ut ipse, qui Antistitis iussu universis praeesset copijs, tot, tantisque, et incomodis et iniurijs consuleret. Verum sive Negronii consilia ignoraret, seu ipsi se opponere non audaret, rem quotidie differebat, ex quo deterior in dies fiebat Carnorum conditio. Consules quoque ac Vicarius de his omnibus certiores facti, rem primo parvi pendere, mox etiam Carnos milites contemnere, et quodammodo desricere visi sunt; ita ut elatus Negronius, dum nonnulli palam illius detestarentur avaritiam, immissis in eos satellitibus suis, pluribus confectos vulneribus semivivos in Castra detrusit. Exasperati, ut par erat, et Praefecti et milites, ultionem moliuntur,

ipsi

quotiescumque se dederit occasio. Evenit enim, ut tertio nonas Februarij, à Negronio in domo Petri Rotarij, Cadubriensis Ampetij incolæ, universum militum Decumae conventum convocatum sit, exceptis Tulmetinis, quos ignominiæ causa accersiri vetuerant. Hi cum omnibus suis copijs è castris moventes, Consilij locum adorti, dejectoque Hypocausti ostio, dum omnes timore perterriti, tam repentini impetus exitum expectant, ne quis loco se moveat edicunt, nullum enim se læsuros, praeter eum à quo toties publicas privatasque injurias receperant. Hac mora Negronium comprehendunt, qui se in Consilij potestate futurum, et de sibi objectis rationem redditurum pollicebatur, innumerisque vulneribus confossum et necatum, frustatim conciderunt, indeque protinus recedentes, Vecellium Vecellio, Antonium Barnabò, et Petrum Rotarium prædictum, viros inter Cadubrienses primarios, tamquam obsides secum abduxere, mortem minati, si quis iter in Patriam impediret. Hisce cum pignoribus percursis per Cadubriensium fines millibus passuum quindecim, ut ad Montem Maurum perventum est, viros illos ad suos remiserunt, ipsique Patrios ad lares reversi sunt. Paucos post dies Vecellius, et Antonius supradicti Cadubriensium

nomina

nomine Tulmetium applicauerunt, et contra militum Præfectos, ac milites ipsos in consilio huiusmodi orationem habuisse fertur Varcellius. Militum uestrorum, dum Austriæ exercitus nostris finibus insedisset, præsidium postulauimus, illudque à uobis, Tulmetini Ciues, cum uestram nobiscum salutem coniunctam esse nosceretis, libenter præstantibus, multo tamen nostro malo recepimus. Vt enim primum ad nos peruenere, siue sua rerúiaci natura ducti, siue à suis Præfectis corrupti, nulli obtemperantes, ignauiter, otiosè, negligenter, contumaciterque omnia agere cœperant, nullo pudore, nec metu coercente. Hieronius Pontellius conciuis noster, nostrarumque gentium Præfectus, uir et consilio, et manu promptus, quantum nobis eorum pertinacia detrimenti, propter hostium propinquitatem, subsequi poterat, facile perspiciens primo lenius admonere, mox cum nihil proficere cognouisset, asperius aliquanto, minis etiam additis, ut rerum status exigebat, cum eis agere cœpit. Quare ingens in illum uestrorum peditum odium exortum est, ut cæterorum militum seditionem concitare conati sunt, sibi ab eo commeatum præ aliis cariorem corruptumque ac fœdum tradi, ut quæstum faceret, conclamantes. Sed cum penes illos, qui uiri illius integritatem probitatemque cognouerant, nihil proficerent eorum maledicta, nullamque sibi fidem præstari uidissent,

eo creuit effrenata audacia, ut tertio Nonas Februarij, in ipso Consilij loco, nobis omnibus (proh dolor!) spectantibus, Hegronium prædictum crudeliter necauerint; iniectis insuper in nos impijs manibus tanti uiri sanguine aspersis, uinctos
adduxerunt ad montem usque Maurum deducentibus, ubi eluvibus affectos iniurijs tandem dimiserunt. O efferatam audaciam! O facinus graui pena puniendum! Has igitur publicas, priuatasque iniurias prosecuturi, ad uos, Tulmetini, missi sumus, ut, audita uestrorum militum socialis fidei uiolatione, sciatis quoque, hæc omnia cum manifesto Cadubrij periculo, nec minori uestro dedecore, perpetrata fuisse. Nec ideo nunc à uobis, tam nefandi facinoris uindictam postulamus, quod tunc uel animus, uel uires, ad ulciscendam iniuriam nobis defuerit; sed quia inconsonum sanctæ societatis legibus uidebatur, etiam lacessiti, in eos desævire, qui nostræ fuerant à uobis comissi fidei. Instans inimicorum acies distulit ultionem in tempus, donec sublato ipsorum timore, causam istam ad uos deflerandi ac de atroci crimine conquerendi facultas data esset. Quapropter hoc à uobis, Tulmetini, petimus enixeque postulamus, ut tanti facinoris autores debita pœna afficiantur. Quid enim fide publica religiosius? Quid societate sanctius? Quid Magistratibus inuiolabilius

esse

esse potest.ʳ Hos tamen immanes homines, nec uestræ fidei religio, nec initæ societatis sanctitas, nec publici muneris reuerentia, à tanto potuit facinore diuertere, quin et socios, quos publico edicto tuendos acceperant, deseruerint et quantum in eis fuit hostibus prodiderint, et supremi Præfecti sanguine consilij sedes turpiter, cruentarint. Quod si tunc hostes, in tanta rerum omnium confusione, nos et præsidio uestrorum militum destitutos, et Præfecto uiro fortissimo orbatos aggressi essent; actum profecto fuisset de salute nostra; sed quos sociorum proditio destituerat, hostium error, et ignorantia saluos fecit. Non ignoramus plura illos in Negronium crimina ab ijsdem pro excusatione sua ficta, et adinuenta, retulisse, quorum nihilominus falsitas, si ea qua decet diligentia, huius rei ueritatem inquiretis, facillime patefiet, et illius hominis innocentiam cæteri Militum ductores demonstrabunt. Sed si quid dignum animaduersione in illos Negronius admisisset, non tamen ipsos decebat milites in socioum Præfectum arma illico stringere illudque indicta causa interficere, cum id ne quidem ipsis Præfectis in Milites, si forte quidquam culpabile puniendumue perpetrauerint, inconsulto facere liceat. Facinus hoc, militari disciplinæ incongruum, humanis Diuinisque legibus contrarium, atrox, immane, ferum, singulari punitione dignum prorsus censendum

est.

est ne imposterum militum animos obrepat pessimi imita=
tio exempli. Vos igitur, cum uestri milites, nostri praesidij causa
missi, omniumque rerum, et consiliorum participes effecti, eos, quos
tueri debuerant, non solum deseruerint, sed etiam prodiderint,
et oppugnauerint, nunc demum cognita ueritate, quod ad uestram
famam, existimationem, salutemque comunem pertinet, prospicite,
atque consulite. Postquam Vercellius dicendi finem fecit, Dani=
el Missitinus qui tunc consilio aderat, iactis à Sanisco et Decri=
ano in eum oculis, ita respondisse fertur. Si eamdem Cadu=
brienses diligentiam ad reprimendum singularem sui Praefecti
temeritatem et improbissimam, inexpletamque cupiditatem, nec
non ad repellendas uarias illius in socios, de ipsis optime me=
ritos, iniurias, adhibuissent, qua in tam calumniosa accusa=
tione instituenda uti uidentur, profecto nec ipsi, ô Ciues, eo=
rum, à quibus toties deffensi, et conseruati sunt, salutem ingra=
tissime impugnarent, nec nos pro improbissimi hominis nece,
apud uos causam diceremus. Nulla est enim in uniuerso Fo=
roiulio Ciuitas, non Oppidum, non Castrum fere est ullum, quod
non huius calamitosi belli tempestate uestrorum à uobis per=
ditum, subsidium petierit, et acceperit, pluraque ex eis suae
libertatis conseruationem, uestrae uestrorumque militum fidei
acceptam referunt, quos quidem semper plurimis laudibus

per litteras

per litteras ornatos ad uos remisere, quae posteris etiam tum ues-
tram in Prouincia conseruanda dilligentiam, tum uestrorum mi-
litum fidem, et fortitudinem demonstrabunt. Nunc primum, non
illorum quippe errata, nihil enim ab eis, nisi pro publici priuati-
que honoris conseruatione actum est, sed illorum, ad quos tuendos
missi fuerant, perfidia efecit, ut eorum accusationem audiatis, quam
quidem animaduerti in duas diuisam esse partes, quarum altera
segnitiem nobis, militiae, laborisque detractationem accusatores obijcia-
re ausi sunt: altera uero Egregij eorum militum Praefecti obitum
deplorarunt, Atque harum duarum partium prima illa, quae
grauissima esse debebat, ita fuit infirma, et leuis, ut illos lex
magis quaedam accusatoria, quam uera dicendi facultas, aliquid in nos
dicere coegerit. Prospicite autem, ò Ciues, quanta sit inno-
centiae uis in utramque partem: uidete, quo descendam, quam
longe à defensorum consuetudine, cautioneque discedam. Om-
nes ferè Foroiulij Ciuitates, pro uirili Cadubriensibus contra Aus-
triacos duces, militum praesidia misere, plures, omnibus rebus
ex Vniuersa Prouincia fortissimi militum Praefecti, caeterique
honestissimi uiri interfuere, qui militum uestrorum, uel uir-
tutis uel ignauiae testes esse potuerunt, cum eorum uerbis hoc
dico, idque non temerè confirmo: fides enim una alicuius mi-
litum Praefecti proferatur, in qua uestigium sit aliquod, ex quo

uestra, militumque uestrorum ignavia cognoscatur. Vnum ex illo Praefectorum militumque numero testem fide dignum producant, qui eorum in hac parte confirmet accusationem, uere ab eis accusatum esse concedam. Profecto multos o Caduburienses satis idoneos testes, et conscios uidetur fortuna ipsa esse uoluisse earum rerum, quae apud uos a nobis gesta sunt, qui ex tanto honestissimorum hominum numero testem ignauiae nostrae producere potestis? Quis ex numero, qui uobis auctor placeat, eo nos iam laudatore utemur et teste. Dubitabitis igitur adhuc o Ciues, quin id, quod ab initio uobis proposui, uerissimum sit, non uestrorum militum errata, sed accusatorum perfidiam in causa esse, ut hanc in eos accusationem audiatis! Nonne uobis uidentur isti maledicii potius conuiciatores, quam uehementes accusatores? Quoniam itaque uidetis, et cognoscitis, qui nos, quomodo, et quam oere oppugnent, statuite nunc, utrum uobis hac in parte militum uestrorum toties probatae exploratque fidei et uirtuti credendum sit, an accusatoribus ipsis, quibus nec propter iracundiam fides, nec propter infidelitatem honor habendus est. Venio nunc ad Egregium eorum Militum Praefectum, quem quidem, quo nomine appellem nescio. Si enim eum Auarum

fraudo=

fraudolentum audacem dixerim, et perfidiosum, uereor ne aut grauioribus utar uerbis, quam mea fert natura; aut leuioribus, quam causa postulat. Quid enim tam inhumanum, tam immane, tam ferum, quam eis à quibus beneficium receperis, ne dum parem gratiam referre, sed etiam malefacere? Nunquid autem audebunt accusatores isti, licet impudentia sint præditi singulari, id negare, quod omnibus palam est, Negronium scilicet illum, ne dum nos militesque nostros, qui Cadubrium pro illis sanguinem effundere uitamque ipsam exponere parati, accesseramus, in hyeme sub dio pernoctare coegisse, uerum etiam nefariam in commeatibus improbissimi quæstus rationem nobiscum exercuisse, cariora omnia ac eadem corrupta et fætida nobis exponendo; ita ut fuerit militibus nostris, propter sociorum auaritiam, inedia pereundum, nisi ipsimet saluti suæ consuluissent? Quid hoc autem, ne dum uniuerso illo exercitu Præfectisque omnibus, sed toto etiam Cadubrio clarius? Quid indignius? Quid manifestius proferri potest? Illius autem hominis improbitatem, quam fieri potuit, dissimulauimus, sed cum in dies in deterius dilaberemur, rem Danieli de Monte, qui Forojuliensibus copijs præerat, detuli, cumeoque instanter egi, ut Negronij si fieri poterat, compesceret cupiditatem, et ut ne quis de hac re inter socios tumultus oriretur, præcaueret.

egit ô Cives quam potuit accuratè, ut eum ad meliorem fru-
gem restitueret, quod quidem ipsius Danielis litteræ ad nos publi-
cè conscriptæ attestantur. (Desunt hic nonulla, deperdita carta)

Placet ne vobis, Cadubrienses, ita geri Magistratus? Aliter profecto
at ut cetera prudentissime statuit Solon, qui Plebei tarda, Ma-
gistratibus at populi Gubernatoribus velocia supplicia constitu-
it; existimabat enim ab illis quovis tempore sumi posse pœ-
nas, iis autem moram ultionis non admittendam. Tantis
nihilominus totque affecti iniurijs, nil repentinum, nil impe-
tuosè agendum esse duximus; sed vobis quam primum hæc om-
nia significare, ut quidnam in hac re nobis agendum esset, de-
cerneretis; ita ut unusquisque facile perspiciat, illinc ab initio
cupiditatem pugnasse et audaciam; hinc autem veritatem et
patientiam restitisse. Sed vicit demum incredibilem nostram nos-
trorumque militum patientiam, una hæc singularisque illius
hominis nequitia, quæ nec à nobis sine perpetua infamia dissi-
mulari, nec sine scelere ullo modo pati poterat; dum enim
nonnulli milites, viri palam damnarent avaritiam, tantus
repente furor, sceleris et audaciæ comes, effrenatum Hegronii
animum oppressit, ut in eos, nil mali expectante, quamplures
suæ nequitiæ satellites immittens, pluribus affecerit vulneribus et

vitæ peri-

uitæ periculum subire coegerit, nisi plures, qui superuenerunt
Cremonæ Ventioníque milites, eorum impetum exercuissent, à quibus repressissent
semiuiui milites uestri, ad nos relati sunt. O Consuetudo peccandi li-
bera, quantam habes iucunditatem in improbis et audacibus, cum
pœna abfuit, et licentia consecuta est! Ego, fateor, o Ciues, militum
uestrorum impetum continuimus, ne illico in Cadubriensium ca-
terras arma pararent, sociorumque suorum iniurias uindicarent,
ita ut magna hinc inde clades subsequi potuerit, nisi unius
hominis mors innoxios à cæde præseruasset, cuius quidem pœna,
licet iustissimè, nimis tamen tardè sumpta, et uestrorum mi-
litum existimationi consuluit, et liberum eisdem ad uos reditum
reserauit. Si enim poterat Negronius per uim et scelus quod
libebat, et quod poterat id audebat; quid nobis erat agendum cu-
ius hominis fides imploranda, aut quomodo illo uiuo ad uos
milites incolumes reducere potuissemus? Quamobrem cum hæc
esset nobis proposita conditio, ut aut iustè pièque tot iniurias ul-
cisceremur, militesque nobis commissos seruaremus, aut acerbè
indignèque omnes moreremur; iniurias ulcisci, quam ullo
modo emori ignominiosè, satius esse duximus. Hunc autem
hominem quisnam, his rebus cognitis, circumuentum dicat, aut
indignè interfectum? aut propter illius necem, societatis à no-
bis iura esse uiolata? Nunquid ullum ab eo sociale in nos officium
prodijt? aut non potius uniuersa illius consilia, scelus, uim,

latrocinium, omnia denique, præterquam ius, quam officium, quam probitatem continebant? Enim uero cum non genus aliquod amicorum, et hostium sit, sed è factis horum utrumque censeatur, ac tamquam hostes eos, qui hostilia faciunt pro hoste ulcisci, lex liberum faciat; nobis profectò, hominem illum, qui nos toties contumelia affecerat, cuius aculeos prudentes ac boni uiri difficillime patiuntur, fame postea inedia, et gladijs demum ipsis occidere conatus est, impunè interficere potuisse, dicendum est. Hæc sunt quæ à nobis pro publicæ priuatæque nominis conservatione acta sunt; quæ licet non sine scelere, nec sine perpetua nostra uestraque infamia omitti potuerint, non tamen à uobis Ciuica corona, tot Ciuibus uestris conseruatis, Romanorum more donari postulamus. Sed ut uim tantum à nobis, scelusque à corpore, à capite, a uita demum ipsa, cum illius improbissimi hominis nece impunè licuerit propulsare, demumque hoc uobis persuasum esse cupimus, grati populi esse præmijs afficere benemeritos de se ciues, uirorum autem fortium ne supplicijs quidem ullis moueri ut fortiter eos fecisse peniteat. Missitini orationem audientium fremitus subsecutus est. Remotis autem arbitris, alijs consilij sententia hæc fuit, ut per Curias omni diligentia de hac re inquiratur, qui postea de statu causæ Consilio referant, à quo æqua lance, quod equitas et iustitia postulauerit, decernatur; sicque Cadubriensium Oratoribus responsum est. Sed has

Ciuitas

ciuiles controuersias, publicè Forisulij res in aliud tempus distulerunt. Sigismundus enim Imperator, cum 12 equitum, & circo peditum militibus Provinciam ingressus, Avrium Castrum obsederat, cui Tulmatini Antistitis iussu, pedites suos et bellica instrumenta ad Vrbium expugnationem necessaria contulere. Pauloque post, capto Avrio, deiectisq. undique Venetorum copijs, Cesaris exercitus eodem Philippo Florentino Duce, omnia Forisulij Oppida, castraque prius à Venetis devicta, recuperauit et ductis ultra liquentiam copijs, Mottam Oppidum eidem flumini insidens obsedit, in quo Venetorum praesidium residebat. Sed cum 12 Kal. Augusti, sex militum Venetorum millia, qui pro tollenda Motta obsidione aduenirebant, in hostes inopinanter incidissent, factaque tumultuaria pugna, in qua ex Venetis quamplures cecidere, reliqui fugam arripuissent, Pannones, recuperato Oppido, pari facilitate cetera quoque omnia Taruisium usque recepere. Quare Veneti Carolum postea Malatestam, cum ualido exercitu hostium conatibus obiecerunt, qui cunctando potius, quam aperte dimicando, eorum insolentiam, ne ulterius progrederentur, continebat, ita tamen ut eos saepe captata occasione, per agros nullo ordine uagantes, male affectos, pedem referre cogerat, et assiduis concursationibus ualde attritos redderet. Demum Sigismundus belli taedio affectus, et Concilij Generalis, quod antea Constantia indixerat et inchoauerat, perficiendi cupidus, Thoma Mocenigo, et Antonio Contareno Venetorum Legatis, Tergestum, quo ipse

multo ante se contulerat, sub fide Regia ad se uocatis quinquen=
nales cum eis inducias indixit. Huius postea Caesaris opera et
diligentia Constantiense Concilium perficitur, in quo fides Chri=
stiana, quae iam multis annis fere titubare videbatur, fortiter resur=
rexit, in eo enim, depositis alijs pro Pontificatu contendentibus
Martinus V. qui prius Columna dicebatur Pontifex electus fuit
et ita schisma pessimum annorum fere 40. finem habuit. Ibi
quoque plures haereses damnatae, et duo Haeresiarchae, Ioannes Hus
et Hieronimus combusti sunt, pluraque alia ad Christianae fidei
unionem pertinentia, pij istius Caesaris opera instituta sunt.
Exacto induciarum tempore, bellum iterum hinc inde restauratum
est, et anno Domini 1418. quinto dies Maij, Philippus Arcellius (canste vel Arcellius?)
cum Venetorum copijs Seravallem aggreditur, et cum altera ex
arcibus edito loco sitis expugnat. Qua re cognita, Christophorus Cu=
cancus ultra Tiliauentum ab Antistite Locumtenens constitutus,
una cum Vinceslao Spilimbergo, et Iacobo Valuasono, facile recedens
cum expedita militum manu, celeri gradu, Seravallem, et Venetos
nihil mali expectantes, aggressus, a Boemis adiutus, qui ad alterius
arcis praesidium morabantur, Oppidum, et Arcem captam recupera=
uit, pluribus ex hostibus interfectis, caeteris vero in fugam coniec=
tis. Eodem fere tempore, alia Veneti exercitus pars una cum
Tristano Sauorgnano, in qua erant equites bis mille, Tiliauentum
pertransiuit, et vastatis undique agris, ad Utini moenia se contulit
captisque quamplurimis graui praeda onusti milites inde recedenten

tes,

tes inter Oppidum S. Danielis, et lacum ei proximum castrametati sunt. Quare Tulmetini oppidanis S. Danielis, Simoni, et Ioanni Colloretis, ac Faganiensibus ita per litteras postulantibus, sagittariorum præsidium tradiderunt. Hostes vero, cum Antistitis copias Utino egressas, Ioannemque Colloretum, cum adiacentium castrorum militibus, per exploratores appropinquare cognouissent, ultra Tiliauentum se recepere; quorum dum timerat aduentum, Fontassius Dulcinici Comes, 40 sagittarios à Tulmetinis per litteras petijt, et recepit. Tristanus postea, et Venetorum milites Canipam Oppidum edito loco situm, undique prius depopulatis agris, magna vi aggressi sunt; sed Boemi ad loci præsidium constituti, hostes viriliter exceptos, multis eorum interfectis, multisque pluribus vulneratis, amissa omni præda, ab oppido recedere coëgerunt. Ludouicus ergo Patriarcha tanto se bello, viribus imparem esse cognoscens, ad Sigismundum auxilia conducturus in Pannoniam se contulit, relictis Enrico Concordiensi Episcopo, et Federico Uertesteino Forijulij Locumtenentibus. Ubi postea anno 1419. Venetorum exercitus, sub eisdem ductoribus, iterum citra Tiliauentum se contulit, cumque Castrum Paganum, Villaltam, Caporiacum, et Muruttium per deditionem recepissent, vastatis prius Colloreti agris, quia Simon, et Ioannes ac cæteris illius Castri consortes imperata facere recusauerant, ad inferiora Patriæ loca proficiscuntur. Quare Utinenses, timentes, ne Emonienses, ab eis obsiderentur, has Tulmetinis litteras tradiderunt, ut ab eis tam ad Utini, quam Portus=

gruarij

" quarij defensionem, presidium obtinerant. Honorabiles, Prudentesque a capite
" amici nostri singularissimi, salutem optimam, et omne bonum. Dominus Locumtenens, et nos heri mittebamus ad uos, et Glemonenses, et Ventionenses, honorabilem uirum Jacobum Cergneum cum litteris credentialibus, D. Locumtenentis et Nostris; sed quia in itinere ab hostibus aggressus, fugam arripere coactus fuit, nec audet amplius illuc se conferre; Rogamus ergo amicitias uestras, ut coadunare uelitis maiorem gentium numerum, pro ut uobis possibile uisum fuerit, et praecipuè sagittarios, eosque paratos tenere, et casu, quo necessitas incumberet propter hostilis exercitus insidias, nobis uelitis quam citissime subuenire, dum à nobis fueritis requisiti, pro ut et nos eueniente casu, sumus, et animus ad omnem requisitionem uestram pro uirili parte parati. Interim Oratores nostri concordiam procurant, que Deo dante sequetur, non obstante, quod Ciuitatenses illam omnino perturbare querant, et solliciti sint ad damna nobis inferenda, pro ut colligere poteritis ex certarum litterarum exemplo suorum Oratorum per nos interceptarum, quas uobis dirrigimus, presentibus inclusas. Praeterea multum solliciti sumus de Portusgruarij statu, quia Oratores nostri nobis scribunt magnum ei periculum imminere, presertim propter instabiles uariarum mentes, qui plures, et potentiores sunt in ipso Oppido quam Ciues; Et cum hodie hostium exercitus ad eorum damna iturus sit, petunt à nobis peditum subsidium, quod eis missuri sumus, nec dubi=

nec dubitamus, quin uos illud idem facturi sitis, quos omnibus in rebus ad Patriæ libertatem conseruandam præ cæteris promptiores fuisse cognouimus. Valete. Dat. Vtini 12 Maij 1514 Decem deputati ad regimen et Consilia et Comune Terræ Vtini. Veneti conductis ad Portugruarij Oppidum copijs, cum admotis undique bellicis tormentis, illud expugnaturi uiderentur, consternati Oppidani ostentis prius triduj inducijs, quarta obsedionis die in hostium potestate concessere. Et illico Estensis tot elatus uictorijs, inde uacans, ad Vtinum se contulit obsidendum, quo paulo ante uariidum Tulmetij, Glemonæ et Ventioni præsidium superuenerat. Quare paucis ibi diebus hostes frustra consumptis cum nulla fieret deditionis mentio, soluta obsidione, ad Austriæ Ciuitatem profecti sunt, direptisque circumadiacentibus Pagis, cum inter Ciuitatenses et Venetos de concordia et unione ageretur, Veneti prope Quasum Pagum statiua posuerunt. Superiora autem Oppida, cum eos per exploratores cognouissent ad ipsorum damna profecturos, Tulmetini uiam prope lacum Cauatiensem, per quam in eorum Prouinciam patet iter, magno præsidio imposito munîuere, Ventionensibus quoque et Glemonensibus tradito militum præsidio. Nec multo post Veneti equites in Prampurginos colles irruentes, omnibus illis uastatis, captaque ac deprædata Artenea, cum nonnullis Glemonensibus extra Oppidum deprehensis ad

à capite

ipsum usque Ipridum incurrere. Quare Glamonenses cum Tulmatinorum praesidio facta repente irruptione, hostiles equites aggressi sunt, et aliquandiu acriter inter eos pugnatum est. Demum vero Veneti, locorum difficultate et hostium multitudine undique in eos confluentium, pedem referre coacti sunt, nonnullis ex eis vulneratis, tribusque ex equitibus captis. Interim sexto idus Julij Civitatenses ad Venetos deficiunt, et ab eis in societatem recepti, ea lege, ut Sigismundo Caesari, et alteri cuicumque a superioribus partibus descendenti, adversarentur, bonaque omnia Tristani Savorniani, et eius attinentium, qui Venetorum partibus studuerant, restituerant. Quam tandem deditionem Civitatenses per litteras, tam Utinensibus quam Antistiti et Tulmatinis conscriptas, variis artibus dissimulare conabantur. Sed cum omnibus Ludovici partes sequentibus fidem suam suspectam esse cernerent; misso demum 6 Kal. Aug. ad Utini ianuas tibicine, se publicos Antistitis et Utinensium hostes professi sunt. Caeterorum tamen popularium animos rei novitate consternatos, Federici Valentinij ex Pannonia reditus exilaravit. Is enim Ludovicum a Buda Civitate se recessisse cum magno equitum numero, paucosque post dies adfuturum esse retulit, et demum Ludovicus, octo secum habens

a capite

recessisse

equitum

Equitum millia in Forum Julium peruenit, collectisque et superiorum Oppidorum copijs, ad Butinicum agrum consedit, et Ciuitatenses obsidere cepit, cuius interim iussu Pletiam uiam, ne quod inde Ciuitatensibus auxilium proficisceretur, Tulmetini et Ventionenses destruxere. Sed cum, multis circa Vrbem ipsam consumptis diebus, nulla per uim illam aut deditionem consequendi spes appareret, et Tadaei Estensis cum Venetorum exercitu aduentum Ludouicus cognouisset; urgente iam frigore, uastatis cunctis undique circa Oppidum aedificijs et arboribus, cum equitibus ipsis iterum in Pannoniam redijt, maiorem, ut aiebat, ueris tempore militum numerum adducturus. Dum omnium animi suspensi rei euentum expectarent, Antistitis absentiam rebus suis plurimum conducere existimantes, Veneti cum octingentis equitibus, et peditibus quatuor millibus, Tadaeo Estense Praefecto, Feltrum obsederunt; Quare de propria solliciti salute Bellunenses propter hostium propinquitatem, per Michalem Milliarium Oratorem suum 6. Kal. Martij 1420. a Tulmetinis peditum praesidium rogauerunt, quibus ipsi omnia ad eorum usum necessaria ere proprio durante bello pollicebantur, eisque Tulmatini centum milites sagittarios concesserunt, quorum tamen opera uti non potuerunt; Feltrenses enim graui pressi obsidione omnique auxilio destituti, paulo post sub Venetorum

uel Brchanni, aut Brchanni

imperium reueneva, et statim exercitus expugnato Quoque Turnillaco Castro, tanta Ballunum cinxerat obsidione, ut frustra milites nostri ad eos ingredi conati sint. Quare Tulmatini eosdem Cadubrium proficisci iusserunt, ita petentibus Erasmo Frisacco Cadubrii capitanio, et ipsius loci Comunitate. Interim pridie Kal. Aprilis Ciuitatenses cum Venetorum presidio Castrum Rosaccium aggrediuntur, sed pluribus eorum interfectis et uulneratis presidij uirtute re infecta discessere; et eodem fere tempore Aloisius, et Nicolaus Strasoldi ad Venetos defecerunt, Tadeo Estense Venetæ Reipublicæ nomine eos in societatem recipiente, eodem quo Ciuitatenses iure fuerunt accepti; et quia Strasoldi Duinium Castrum possidebant pro quinquagentis aureis per eos erogatis, actum inter partes est, ut quatenus Castrum illud Tristani Sauorniani iuribus pertineret, Venetorum Princeps huiusmodi definiret controuersias.
Ineunte demum mense Maio Ballunum quoque ad Venetos peruenit, qui paruo postea negotio Serauallem, et exinde Coneglianum, Sacillum castra, et multa ultra Tiliauentum Oppida et Castra recepere. Moxque hostes ipsi, diruto prius funditus Praeta Oppido, flumen ipsum transeuntes cum omnibus copijs Vtinum obsidione cinxerunt, dumque sexcenti Veneti milites

milites, ut se cætero exercitui coniungerent, prope Cordouatum Castrum peruenissent, à Nicolussio Pratense, Friderico Porliliense, Iacobo et Vuluino Valuasonijs, ac Francisco Prodolonio cum Foroiuliensibus copijs in fugam uersi sunt, pluresque eorum interfecti. At Utinenses cum interim graui undique premerentur obsidione, nullamque auxilij spem in Antistite repositam esse uiderent, cuius redditum, licet pluries per litteras requisitus fuisset, frustra tot mensibus expectauerant, pluresque quotidie mortales pestilentia interierint, omni subsidio destituti præter eos quos à superioribus Oppidis milites acceperant, ne sibi postea grauiora pati contingeret si ultimum belli euentum expectarent, pactis cum Venetorum Præfectis inducijs, ut eis ad Venetum Principem Legatos suos ad certum diem mittere liceret, se suaque omnia Venetis tradidere.

Ulderico

a capite

Capto autem Utino, Estensis, recepto prius Collouetto et adiacentibus Castris, omnes copias ad superiora Oppida conduxit, et cum Glemona et Ventionum, omni auxilio spoliata, in Venetorum potestatem deuenissent; Tulmetium quoque, postquam omnia fidei et gratitudinis argumenta fœdata esse uiderentur, in Venetorum Patrocinium uoluntariè se submisit, seruatis tamen priuilegijs sibi per antea ab Antistibus concessis.

Finis.

Index

Carneæ Stemma . . . . pag. III.
Editoris dedicatio . . . . . V.
Liber primus . . . . 1.
Liber secundus . . . . . 25.
Liber tertius . . . . . . 55.
Liber quartus . . . . . 77.

102.

CIVICA
UDINE

Nobili ac perillustri
Tulmetii Communitati
Josephus Cyllenius de Angelis

Quod vetera Provinciarum monumenta, qualitates, mores, res gestæ aliquando, turpi demandata oblivioni, perierint; aut scriptorum inopia, vel sane incuria id factitatum existimo. Quippe, cum Carnica regio, nun Carinthiæ et Forojulii contermina, habitantium simplicitate innocentiaque contenta, litterarias artes